

regi Christi cognoscende et pericienda, ac pro ea honorum spoliationem, omnemque persecutionem leto et constanti animo perferetis.

NE FORTE PEREFFLUAMUS. — Hoc est, ne instar perfluentis chartæ, que non retinet characteres, auditam doctrinam non retineamus, sed eam diffundere sinamus. Secundo et melius, q. d. Ne velut vasa rimarum plena, sermonem Christi auditum quasi divini verbi suavissimum balsamum, memoria et mente non contineamus, sed irrecuperabiliter eum effluere sinamus. Est metaphorica a vasis, que cum rimosa sunt, aquam aut liquorum alium non retinent, sed effluere sinunt, ita ut amplius colligi non possit juxta illud *Eccl. xxi, 17* : « Cor facti quasi vas confectum, et omnem sapientiam non tenebit. » Sic Terentianus ille Parmeno : « Plenus, inquit, rimarum sum, hæc illaque perfluo. » Unde nonnulli putant hic legendum non *perfluamus*, sed *perfluamus*. Verum *perfluamus* habent omnia exemplaria, idque significantius est quam *perfluamus*. Duo enim significat : *primam*, aquam e vase, et sermonem e mente perfluere et elabi; *secundo*, aquam e vase, sermonem e mente lapsam dilabi, diffundere et perire, ut amplius recipi non possit. Unde S. Chrysostomus, Theophylactus, Occumenius et Syrus sic explicant : *ne effluamus vel perfluamus*, id est, inquit, ne excidamus a via salutis, et pereamus. Notat Chrysostomus hanc phrasim sumptam esse ex *Proverb. iii, 21*, ubi Septuaginta habent, *ut, uti παραρροή*, id est, fili, ne effluas, pro quo Hebræa et noster Interpres legunt : « Fili, ne effluant hæc (sapientie monita) ab oculis tuis. »

Tertio, Barradius, tom. III, lib. I, cap xxxii, sic explicat : « Ne forte perfluamus, hoc est, ne forte negligentes, et minime attenti mente, in alia negotia, vel in cupiditates effluamus et distrahamur, ne forte attentionem in res alias, non in verba Dei, negligenter effundamus. Sicut enim vas pereffluit, cum aquam quam continet effundit : sic auditor pereffluit, cum attentionem ex mente effundit, auditque negligenter. Verum secundus sensus uti simplicior, ita germanior est. »

2. SI ENIM QUI PER ANGELOS DICITIS EST SERMO (id est, que per angelos dictata est lex *Exodi xix et xx*), FACTUS EST FIRMIUS, etc. Q. UOMODO NOS EFFUGIENS, SI TANTAN NEGLEXERIS SALUTEM? — q. d. Si lex vetus per angelos dictata in Sina facta est firma, id est, confirmata = Deo fuit fulguribus, terramotum, fumo, tonitruis, *Exodi xix, 16*, et maxime terribili prævaricatorum vindicta : si, inquam, legis prævaricatores tantopere puniti sunt, v. g. cum adorant vitulum, *Exodi xxxii, 28*; cum fornicati sunt cum filiabus Moab, *Num. xxv, 4* et 9; cum sabbatum violarunt, *Num. xv, 33*, et alias sæpe cum contra Dominum, Mosam et Aaronem murmurarunt : quomodo et quanto gravius nos Christiani puniemur, si negligamus salutem, id est Evangelium, quod anime salutem affert,

Metaphora sumpta a vasis rimosis.

Ver. 3 et 4.

Lex vetus ab angelis dicta, et ejus prævaricatores puniunt.

quod non angeli, sed ipse Christus Dei Filius enarravit et sanxit, quodque Apostoli tot signis et miraculis confirmarunt, ut sequitur.

3. QUÆ (scilicet salus, id est, salutis Evangelium et annuntiatio) CUM INITIUM ACCEPISSET ENARRARI PER DOMINUM (Christum), AB EIS QUI AUDIERUNT (id est, ab Apostolis) IN NOS (id est, usque ad nostra hæc tempora) CONFIRMATA EST, 4. CONTESTANTE DEO SIGNIS ET PORTENTIS, ET VARIIS VERTUTIBUS (id est, potentibus miraculis), ET SPIRITUS SANCTI DISTRIBUTIONIBUS (id est, donis linguarum, prophetiæ et aliis, que Spiritus Sanctus cuicque distribuit) SECUNDUM SUAM VOLUNTATEM. — Hinc Calvinus, Beza et Cajetanus probare conantur hanc epistolam non esse S. Pauli, quia, inquit, Paulus *Galat. i*, ait se a nullo homine didicisse fidem et Evangelium, sed a solo Deo; hic autem significat se ab Apostolis in fide edocuit aut certe confirmatum esse.

Respondet : Non dicit hic Apostolus, se ab Apostolis in fide confirmatum esse, sed ipsum Evangelium, id est, legem et dogmata Christi a Deo confirmata esse multis miraculis, idque sæpius et continue ad sua usque tempora. Non ergo aliud dicit hic Apostolus quam quod Marcus cap. ultim., 20, cum ait : « Illi (Apostoli) autem profecti predicaverunt ubique Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis. » Hæc autem signa paulo ante explicavit ibidem Christus dicens : « Signa autem eos qui crederint, hæc sequentur : in nomine meo demonia ejection, linguæ loquentur novis, sberentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocbit : super egros manus imponent, et bene habebunt (1). »

Nota : Signa, portenta et virtutes re ipsa idem sunt, sed tantum connotato distinguuntur. Miracula enim dicuntur signa, quia indicia sunt veritatis et doctrinæ, verique Prophetæ et doctoris; eadem dicuntur portenta, id est, prodigia, quia tam naturæ vim, usum et cursum, quam hominum scientiam et opinionem superant : unde ea spectant et admirantur homines, quasi nova, insolita, transcendentiæ et divinæ. Eadem denique dicuntur virtutes, quia sunt opera virtutis et omnipotentie Dei.

5. NON ENIM ANGELIS SUBJECTI DEUS ORBEM TERRÆ FUTURUM. — q. d. Christo est auscultandum et parendum, non angelis; quia non angeli, sed Christus orbis est dominus et judex.

Querens, quis hic vocetur « orbis terre futurus? » Respondet primo S. Chrysostomus, esse mundum hunc, qui tunc erat futurus, cum Filius Dei erat in sua æternitate, destinatusque et decretus erat a Patre mundi dominus.

Secundo : Franciscus Ribera intelligit Ecclesiam

(1) Rosenmüllers : a Paulus, si est hujus Epistolæ auctor, hic, ut solet, communicative loquitur, cum dicit : nos accepimus doctrinam ab his qui a Domino eam audi verunt. Intelligit Hebræos, ad quos scribit. Sic omni

Errat Calvinus, Beza et Cajetan.

Miracula, portenta, virtutes quomodo differant.

Christi, quæ erat futura cum Filius ageret apud Patrem, decernereturque parens et caput Ecclesie per suam incarnationem futuræ et nascituræ. Hanc enim dici putat orbem futuram, quia in ea futuri erant novi homines, nova respublica, nova lex, novus ritus, nova Sacramenta, novum regnum Christi, hoc temporale, sed spirituale per fidem et gratiam, quibus inchoamus regnum celeste, beatum et æternum, q. d. Apostolus : Vos, o Hebræi, estis initium hujus orbis futuri, et hujus novi sæculi subjecti Deus : quare non Mosi, sed Christo ejusque nove legi parere, eamque constanter refinere debetis, cum non Mosi, imo nec angelis, sed Christo Deus vos atque omnes homines subjecerit. Sed valde improprie et obscure Ecclesia vocatur orbis terre futurus, nec usquam in Scriptura ita nominatur (1).

Inaque tertio, planissime et aptissime, Theodoretus, S. Thomas et Lyranus accipiunt orbem futurum post resurrectionem et judicium generale, quem Deus Pater in suo dec. 30 et prædestinatione subjecti, et actu re ipsa subjecit Christo in fine mundi : tunc enim Christus, victis plans omnibus suis hostibus, plenissimo triumpho, imperio et dominio, cum suis Sanctis in hoc orbe regnabit. Id patet ex vers. 8, ubi cum Paulus citasset illud psalmi : « Omnia subjecti sub pedibus ejus, » subdit : « Nunc autem necdum videmus omnia subjecta ei, » q. d. Sed videbimus omnia Christo subjecta in orbe futuro, post resurrectionem : passim enim Hebræos ad constantiam in fide et tolerantiam persecutionum excitat hic Paulus, per spem beatitudinis et gloriæ celestis, futuræ resurrectionis, et innovationis mundi rerumque omnium. Hinc *Isaia ix, 6*, Christus vocatur pater futuræ sæculi, id est, Dominus Beatorum et totius mundi in resurrectione renovandi. Hinc etiam *Isaia lxxv, 17*, in futuro hoc orbe et sæculo dicitur creandus esse novus mundus, novi cæli, nova terra.

Dices : Quomodo de hoc orbe addit Apostolus dicens : « De quo loquimur? » Hæc enim non egit de resurrectione et futuro post eam orbe.

Respondet, Apostolum de resurrectione et novo orbe in ea futuro egisse, cap. I, vers. 12, cum ait : « Et velut amictum mutabis eos, » scilicet cælos in resurrectione; et vers. 6, ubi ait : « Et cum iterum (scilicet in resurrectione) introducit primogenitum in orbem terræ, dicit : Et adoret eum omnes angeli Dei. » Ecce ad hæc verba alludit Apostolus hic, et hic est orbis terre futurus.

tollitur difficultas, quam alii in hoc loco vident, quo Paulum Epistolæ hujus auctorem negari arbitrantur.

(1) Allioh, cum Ribera, per orbem terræ futuram intelligit tempora Christiana, seu regnum Messie, tum in hoc mundo, tum post judicium generale in celo. His, ait, temporibus, non jam angeli, sed Filius et Spiritus Sanctus, primo loco ut mediatores apparebunt.

terre futurus est Ecclesia Christi, vocem ait Ribera.

Orbis futurus post generale judicium erit in gloria cælesti.

Felix, qui hunc orbem futurum semper mente versat, ad eumque se componit!

6. TESTATUS EST AUTEM IN QUODAM LOCO QUIS, DICENS. — Ex testimonio Davidis, *Psal. viii*, probat id, quod dixit, scilicet orbem terræ futurum, Christo esse subjectum.

Nota : De Davide dicit, « quis, » id est quidam, non per contemptum, sed quia loquitur Hebræis, ait Chrysostomus, qui in Scripturis et in Psalmis erant versatissimi et peritissimi, q. d. Ille quem nostis, et quotidie legis ac teritis, scilicet David, dicit :

QUID EST HOMO QUOD MEMOR ES EJUS. — Nota, *Psalm. viii* celebrat Dei creatoris magnitudinem et beneficentiam, ex tot et tam miris ejus creaturis, ne presertim ex homine, quem omnium quasi regem et dominum constituit. Id ita esse docet Nazianzenus, Theodoretus, Eusebius, Apollinaris in *Catena Græcorum*, in *Psalm. viii*, et patet ex ipsis psalmi verbis : « Quoniam, inquit, video cælos, opera digitorum tuorum, lunam et stellas, que tu fundasti; quid est homo quod memor es ejus? Gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super operam manuum tuarum : omnia subjecti sub pedibus ejus, oves et boves universas, insuper et pecoræ campi, volucres cæli, et pisces maris. » Quis non videt hic describi dominium hominis in pecora et alia animalia, datum homini a Deo in prima sui creatione? quis non videt hæc verba alludere Paulus? inquit, cum citare verba Dei *Genes. i, 26*, quibus ait : « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram; et præsit piscibus maris et volatilibus cæli, et bestiis, universæque terræ, omnique reptili quod movetur in terra (1)? »

Dices : Si hic psalmus canit excellentiam creaturam, ac presertim hominis cupiditatem, ergo male Paulus illum appropriat Christo homini.

Respondet, nego consequentiam. Pro quo nota, Scripturam admittere plures sensus litterales,

(1) Non statim apparet, quomodo hoc, et quod sequitur, cum præcedentibus cohercat. Videtur autem Paulus occurrere objectioni eorum, qui dicere poterant, angelis tamen longe superiores esse hominibus, Christum autem, qui homo, inferiorem fuisse angelis. His respondetur, hominem in se non multo inferiorem esse angelis; Christum vero omnes reliquos homines dignitate superare longissime, nec arruinas quas passus est, ei esse dedecori, sed potius honori. Homo hic non describitur ut humilis, sed ut excellens, quoniam ei, in persona Christi, imperium totius orbis concessum est. Hæc autem Bernardinus a Piceno : « Hæc tacitam assumptionem de Christi domino precat ex *Psalm. viii*. Circa quam probationem duo notanda sunt... secundo, quod cum Hebræis ex sensu mystico argumentatur, utpote eis noto et apud eos recepto; hæc enim Psalmistæ verba ad litteram sunt de Adamo et semine ejus, in sensu autem mystico sunt de Messia, Filio hominis, et cuius figura erat Adamus. Insuper autem notam erit quod Adamus, erat figura domini superem in hanc inferiorem mundum, habet in celis, et post quod Messias, Christus Dominus, habet in celis, et post generale judicium habiturus est in totum orbem. » Cf. *Biblie de Vence, Pref. sur l'Épître aux Hébréux*, art. 7, &

Psalmi viii sensus ob argumentum.

Homini dominium in cætera creatura.



presertim cum unus alteri subordinatus est, cumque unus in altero quasi species in suo genere, aut individuum in sua specie continetur et eminet. Tunc enim non tam duo, quam unus e duobus conflatus perfectusque est sensus. Psaltes ergo Psalm. viii, celebrat Dei magnificentiam, ex quo tantisque Dei creaturis, maxime hominibus; sed quia inter has creaturas et homines nobilissimus est et eminentissimus Christus, hinc Christo præ cæteris non tantum allegorice, sed et litteraliter appropriatur hic psalmus, ut patet ex hoc loco Pauli, et ex Matth. xxi, 16, et ex 1 Cor. cap. xv, vers. 27. Simile est Deuter. xviii, 13, ubi dicitur: « Prophetam de Gente tua suscitabit tibi Dominus: ipsam audies, ut petisti a Domino Deo tuo in Horeb. » Primo enim per Prophetam hunc intelligit quoslibet veros Prophetas, puta Isaiam, Jeremiam, Oseam et alios. Secundo, per « Prophetam » proprie intelligit Christum, ut patet Act. cap. iii, vers. 22, et cap. vii, vers. 37. Vide dicta Deuter. xviii, 13.

Locus Deut. xviii explicatus.

Christus est Prophetam significans.

Christus cunctis administrandorum compendium, ac omnium Dominus.

Psalm. viii hebraice inscribitur Christo.

Christi dominum in omnia animalia.

Sic et hoc Psalm. vii. canit Psaltes magnificentiam Dei in genere ex creatione omnium rerum et hominum, sed maxime Christi, qui caput et vertex est omnium creaturarum et hominum, quique omnium admirandorum et creatorum nodus est, compendium et speculum; unde hebraice hic psalmus inscribitur לַמַּנְטֵשֶׁחַח, id est, ut vertit Aquila, Theodotion et Quinta Edictio, victoris, scilicet mortis et diaboli Christo. Septuaginta vertunt, in finem, id est in Christum, qui finis est peccati et mortis, regnumque Satanae finivit et abolevit. Rursum plenum dominium in piscibus, volucres et feras, de quo agit Psaltes vers. 8 et 9, soli Christo jam competit: homo enim Deo rebellis, et in peccatum lapsus perdidit hoc perfectum dominium in bestias. Celebrat ergo Psaltes hoc Psal. viii, exaltationem hominis et humanitatis nostræ factam in Christo, et percipem et reparatorem. Ita S. Chrysostomus, Theodoretus, Hieronymus, Theophylactus et alii, vel hic, vel in Psal. viii. In Christo enim maxime resplendet Dei gloria et magnificentia, tum quia Christus unus inter omnes homines innocentiam et integritatem primæ creationis humane, ac consequenter dominium plenum in omnia animalia retinuit; tum quia in Christo et per Christum, inquit Chrysostomus, « Mors victa est, demones vinciti, celi aperti sunt, Spiritus Sanctus missus est, servi liberi facti sunt, inimici filii, et homines angeli effecti sunt, imo Deus homo factus est, et homo factus est Deus. »

QUI EST HOMO QUOD MEMOR ES EUS? — Pendet hic versus a præced. in Psalm. viii, qui sic habet: « Quoniam video cælos tuos, opera digitorum tuorum, lanam et stellas que tu fundasti. » Deinde mox sequitur: « Quid est homo quod memor es ejus? » quasi dicat: Cum tuorum celorum ac stellarum, o Domine, amplitudinem, motum,

pulchritudinem, ac multitudinem et ordinem contemplor, hæcque omnia servire homini, esseque locum ejus beatitudini preparatum cogito et meditor, admirandus exclamo: Quid est, Dei enim quanta est tua, o Domine, dignatio, qua hominibus ita es memor, ita eum curas et prevencionis tua benevolentia totque beneficiis? presertim quod in Christo, et per Christum ipsum ita evaxeris, et evahas indies in cælum usque.

Nota: Pro homo hebraice אָנוֹס enos, id est miser, fragilis, infirmus, ærumnosus: sic ut enim homo dicitur adam, ratione materie, quia ex adama, id est terra, formatus est Adam, quasi homo ab humo; et sicuti idem homo ratione animæ dicitur אִישׁ ish, id est quasi אִישׁ, id est ignis; nam, ut ait Poeta, « igneus est illis (animabus) vigor et celestis origo: » ita homo post lapsum in peccatum et ærumnas, dicitur « enos, » quasi אָנוֹס enos, id est, desperata salutis, et certæ morti destinatus. Secundo, enos hic alludit ad radicem נָשָׂא nasa, id est oblitisci, ut littera נ in enos, non sit radicalis, sed æmanatica: sique enos idem est, quod oblitivus, vel oblitivionitradendus, q. d. Quis est ille « enos, » id est, oblitiviscens homo et stupidus, qui tam tui, o Domine, quam suæ salutis oblitiviscit, ut ejus recorderis? Quis est « enos, » id est, ille ærumnosus, desperatus, memoria indignus, imo mortis et oblitivionitradendus, ut tu, Domine, ejus recorderi digneris, itaque recorderi, ut eum lapsum erigeris, adeoque Christo Deo unire, et per Christum salvare et glorificare cogites et destines? ita Origenes et Hesychius in Psal. viii.

Enos ergo dicitur homo infirmus et incurabilis, ac si solus homo sit inter omnes creaturas incurabilis: qui a nemine, nisi a solo Deo curari possit, quique salutem et bona sua omnia, ab uno Deo expectare debeat, ac proinde qui, si sapit, in Deo bona se spe sustinet, in eoque totus se cure sine sui suarumque rerum cura recumbat, oportet, inquit Philo, lib. De Abrahamo.

7. MINUISTI EUM PAULO MINUS AB ANGELIS. — Hebraice אֶתְּוֹסֵי הַחַשְׁחִיר hechesir, et Græcè διατράχουλα, significat ita quempiam minui, ut ex majori gradu, honore, aut opulentia et statu ad minorem descendat. Sic enim Christus, cum esset Deus summus et ditissimus, propter nos factus est puer parvulus et pauperimus; itaque a summo delatitio ad imum humanitatis nostræ descendit, et capite quasi minutus est.

Secundo, pro paulo minus græce est ἄραρον, quod respondet Hebræo אֶתְּוֹסֵי meot, id est parum, et denotat paritatem tam temporis quam quantitatis. Unde aliqui cum Syro vertunt, paulisper vel parvo tempore; alii et potius vertunt, parva quantitate, distantia et intervallo, sine parva in re. Uterque sensus huic loco congruit: homo enim parvo intervallo, scilicet corpore mortali et passibili, distat ab angelo; detrahe homini corpus,

Dei enim est beatitudinis magnificatio.

Homo hebraice dicitur enos, id est, miser, fragilis, infirmus, ærumnosus.

Deus pro nobis immutatus.

Homo in quibus minor angelo?

homo erit angelus. Rursum paulisper, scilicet tempore lupus brevis et mortalis vita, homo minor est angelus: nam in resurrectione Beati Petri in gloria pares et similes erunt angelis Dei, Luc. xx 36. Hæc veriora sunt in homine Christo. Nam natura humana in Christo in parva re, et parvo tempore minor fuit angelis, quia in hac vita, ac præsertim in morte et cruce, ut notat Apostolus, vers. 9, habuit corpus mortale et passibile, cum angeli sint immortales et gloriosi. Hinc in passione humiliatus fuit, afflictus et tortus valde, adeo ut diceret: « Ego sum vermis et non homo; » sed ita, ut in omni passione tam animi constantiam, quam persone dignitatem retinuerit, eamque per terre motum, eclipsim solis, tenebras aliaque miracula ostenderit. Rursum Christus mortuus quidem et sepultus est, sed ita ut eorum ejus quasi sancta et inviolabiles non viderit corruptionem, in altera vero vita, scilicet statim post resurrectionem, Christus accepit corpus immortale et gloriosum, ac consequenter angelis par, imo loco et honore superior effectus est: collocatus enim est ad dexteram Patris.

Secundo, anima Christi quoad naturam minor est angelis, sed quoad sapientiam, gratiam et gloriam, et quoad unionem cum verbo, longe major est et semper vult angelis.

Nota: Pro ab angelis hebraice est מעלהים, quod S. Hieronymus, Theodotion et Quinta Edictio vertunt, a Deo, idque suo modo verum est: homo enim est Deo imago, et terrestris quidam Deus, ac dominus omnium; unde præ reliquis creaturis homo ad Deum accedit quam maxime, Deoq. paulo est minor, si cum aliis rebus creatis conferatur, que longius a Deo distant. Hoc autem mollo verius est in Christo homine. Natura enim humana in Christo, licet creata sit, subsistit tamen in eadem subsistentia et persona, in qua Deus, Deique Filius subsistit: hinc quoque sedet ad dexteram Patris quasi loco et honore Patri proximo; ergo paulo minor est Deo. Verum melius Septuaginta, et ex iis S. Paulus, Chaldaeus quoque et Syrus vertunt, minuisti eum paulo minus ab angelis. Hebræum enim אֶתְּוֹסֵי elohim, non tantum Deum, sed et angelos, imo et principes ac iudices, qui Dei imperium, dominium et gubernationem participant, significat, ut Psal. lxxxi, vers. 1: « Deus stetit in synagoga deorum (hebraice elohim, id est iudicum); in medio autem deos (id est iudices) djudicavit. » Psal. cxxxvii, 1: « In conspectu angelorum (hebraice elohim) psallam tibi. » Psalm. xcvi, 7: « Adorate eum omnes angeli (hebraice elohim) ejus. » Omnes enim homines, etiam Christus, proprie loquendo ab angelis parum, a Deo vero multum, imo infinitum, minorati sunt distantes et disjuncti. Unde Philip. ii, 5, dicitur, quod Christus « cum in forma Dei esset, semetipsum exinanivit, dum in similitudinem hominum factus est, et habitum inventus ut homo. »

GLORIA ET HONORE CORONASTI EUM (hominem maxime Christum), ET CONSTITUISTI EUM SUPER OPERA MANUUM TUARUM. — « Gloria, » scilicet tripliciter: primo, quia hominem ad tuam imaginem creasti et formasti, eique mentem rationis, libertatis, beatitudinis et Dei capaxem dedisti. Secundo, quia hominem « constituisti super opera tua. » Hebraice תַּמְסִלְהוּ tamselehu, id est dominari fecisti, vel dominum eum constituisti operum tuorum, id est totius mundi, ac præsertim omnium animalium, non tantum cæciorum, sed et pecorum campi, id est ferarum: hisce enim plene dominabatur Adam in paradiso; jam vero post lapsum homo imperfecte et semiplene eis dominatur, inquit Chrysostomus, quia scilicet animalia quavis homo capere, subjicere et cæurare potest: Christus autem æque ut Adam plene his dominatur: unde Christo soli hic versus convenit.

Tertio et maxime, gloria resurrectionis, ascensionis, celebratissimæ famæ et nominis, judicariæ potestatis et perfecti domini in omnia, coronasti hominem et humanam naturam in Christo, cum Christum hominem omni hac gloria dotasti et coronasti, ut patet vers. 9.

Nota: « Coronasti » dupliciter accipi potest: Primo, « coronasti, » id est, copiose et quasi undique circumvestisti eum gloria, instar coronæ. Corona enim Hebræis copiam et affluentiam significat, ut Ps. lxxv, 12: « Benedicis coronæ anni benignitatis tue. » Ubi « coronam anni » voc copiam florum, herbarum, segetum, fructuum quibus quasi coronis coronatur annus benignitatis, id est, annus quem Deus sua benignitate fertilem facit. Unde Hebræi aliter jam distinguunt, et pro קֶטֶר ateret, id est coronæ, punctantem annum bonitate vel beneficentia tua, id est, cum multati annum proventu abundantiam quem largitur bonitas tua. Hinc coronam hanc explicans Psaltes subdit: « Et campi tui replebuntur ubertate. » Sic et Psalm. v, vers. 13: « Domine, ut scuto bonæ voluntatis tue coronasti nos, » id est, Domine, tua benevolentia, quasi scuto, undique nos communis, protegitis et circumvallas. Psalm. cx, 4: « Qui coronat te in misericordia et miserationibus, » q. d. Deus erga te, o anima, adeo misericors est, ut suis miserationibus quasi coronæ circumcingat te.

Secundo, « Coronasti, » id est, coronam gloria pro meritis dodisti, q. d. Christus? hactenus cum morte et demone victi, meruit, obtinuit coronam gloriæ, tum corporis sui, tum famæ et nominis sui, tum pleni domini in omnia, qua tu, o Domine, eum quasi triumphatorem coronasti. Patet vers. 9.

8. NUNC AUTEM NECDEM VIDEMUS OMNIA SUBJECTA EI. — q. d. Ne turbemini, o Hebræi, si dicam Christum regnare, quæsiatque illi subjecta esse, eo quod videlicet hostes Christi vobis dominari, vosque mulcare bonorum iactura videtis alios.



que penis : nequum enim imperator noster  
Christus emuncta obtinuit, adhuc hostes ei rebella-  
ti sunt, nequum futurus orbis (de quo dixi) ad  
seem suspiramus, apparuit; sed modicum ex-  
pectate, donec impii impleant mensuram peccato-  
rum suorum, donec finiatur hæc generatio,  
hoc sæculum, nimirum. In fine mundi cuncta  
Christus oblinebit, eruntque omnia ei subjecta,  
ac tunc vos cum illo triumphabitis, et domina-  
bimini hostibus vestris, imo rebus omnibus. Ita  
S. Chrysostomus (1).

9. EUM AUTEM, QUI MODICO QUAM ANGELI MINO-  
RATUS EST, VIDEMUS JESUM PROPTER PASSIONEM  
MORTIS, GLORIA ET HONORE CORONATUM, UT GRATIA  
DEI PRO OMNIBUS GUSTARET MORTEM. — Est hic hyper-  
baton, sive perturbatus verborum ordo, qui  
sic clare ordinandus est : « Jesum autem cum  
videmus gloria et honore coronatum, qui modico,  
id est paulo minus, quam angeli minoratus est,  
propter (id est ad, scilicet subeundam) passio-  
nem mortis, ut gratia Dei pro omnibus gustaret  
mortem. » Sic enim omnia clare et apte coherent.  
Est enim hic antithesis versus precedentis, q. d.  
Licet hoc tempore nequum videamus omnia sub-  
jecta Christo, videmus tamen ipsum Christum  
gloria et honore jam coronatum, uti de eo præ-  
cinit Psaltes; quia scilicet Christi nomen, fides,  
fama et gloria ubique propagatur: omnes enim  
gentes, relicti suis idolis, agnoscent et colunt  
Christum crucifixum, tanquam suum salvatorem.  
Unde non dubitamus, sed certissimo speramus  
et credimus, quod sicut unum Psaltes versiculum  
in Christo impletum videmus, ita et brevi alter-  
rum explendum visuri simus, scilicet in resurrex-  
tione Christo plane omnia subjecta fore. Jam  
ergo Christus gloria et honore coronatus vestra,  
o Hebræi, pro fide certamina ex alto spectat, ut  
fortiter certantes et vincentes post modicum la-  
borem et tempus coronet corona gloria, imo corone  
sue participes efficiat in omnem eternitatem.  
Præclare Tertullianus ad Martyres, cap. III :

« Vos, inquit, benedicti, bonum agonem subi-  
turi estis, in quo agonethetes Deus vivus est,  
xystarches Spiritus Sanctus, corona eternitatis  
bravium, angelicæ substantiæ politia in caelis,  
gloria in secula sæculorum. Itaque epistates  
vester Jesus Christus, qui vos Spiritu unxit, et  
ad hoc scæmma produxit, voluit vos ante diem  
agonis ad duriorum tractationem a liberiore con-  
ditione seponere, et vires corroborarentur in  
vobis. Neque enim et athletæ segregantur ad  
strictiorem disciplinam, coguntur, cruciantur,  
fatigantur; quanto plus in exercitationibus labo-  
raverint, tanto plus de victoria sperant. Et illi ut

(1) Vers. 8, adjectiv. dimisit, scilicet Psalmi auctor.  
De poësis sæpe dicitur, eos fuisse, quo l de aliis predicant:  
ta Allio. Sic Horatius, Satyr. 4: Poëta jugulat Mommo-  
nem, in A. cantem enim jugulam esse. — Lucus Psalmi,  
qui litteraturæ homine agit, hoc commate ad Jesum  
transfertur

coronam corruptibilem consequantur, nos eter-  
nam consequentur: quia virtus duritia exstruitur,  
mollitia vero destruitur. »

Nota: T<sup>o</sup> propter passionem non significat Chris-  
tum per passionem, vel in passione minoratum  
esse. Sic enim græce dicendum fuisset, δὴ τὸ  
παραμικρότερον; jam autem dicitur δὴ τὸ πικρότερον, id est,  
propter passionem, ut scilicet pati et mori pos-  
set, ideo minoratus est Christus in sua incar-  
natione et nativitate humana. Sic ergo, id est  
propter, hic non materiam, vel subjectum, sed  
causam finalem significat; hanc enim clare ex-  
plicat, dum subdit:

UT GRATIA DEI PRO OMNIBUS GUSTARET MORTEM.  
— « Gratia Dei, » id est, gratuita Dei miseri-  
cordia, q. d. Minoratus est Christus in nativitate,  
qua natus est homo passibilis, morti et cruci des-  
tinatus, non ex necessitate, non ex merito homi-  
num, vel angelorum, multo minus ex culpa  
sua: sed ex pura Dei misericordia et gratia, qua  
voluit Deus Pater eum talem nasci, ut pro  
omnibus mori, omnesque sua morte redimere  
possit.

Nota: Pro χάρις, id est, gratia Dei, Theodo-  
retus, Theophylactus, Oecumenius, legunt χάρις  
θεοῦ, id est sine Deo, vel excepto Deo, adduntque  
ita corruptum esse hunc locum à Nestorianis;  
hinc enim illi probant in Christo duas fuisse per-  
sonas, et Deum ab homine fuisse separatum. Ver-  
um ante Nestorium Ambrosius, lib. de Fide, cap.  
IV, legit quoque τὸ sine Deo, sicut explicat,  
Christus pro omnibus sine Deo, id est excepto  
Deo, mortem gustavit, q. d. Christus pro omni-  
bus omnino, etiam angelis, non autem pro Deo  
ipso (Deum enim excipio) mortuus est, non quasi  
angelos redemerit Christus, sed quod angelos  
hominibus reconciliavit, eorumque letitiam et  
gloriam auxerit, dum sedes eorum ex quibus  
collapsi erant demones, per homines restauravit  
et replevit. Ita S. Ambrosius, Theodoretus, Theo-  
phylactus, Oecumenius.

Verum legendum est cum nostro interprete,  
Syro, Chrysostomo et aliis, χάρις, id est gratia,  
dono et beneficio Dei; hoc enim verbo tollit ad  
Hebræis scandalum crucis. Dicebant enim Judæi:  
Si Christus est tantus et tam gloriosus, cur cruci-  
fixus est et mortuus? Respondet Apostolus, id  
immense fuisse gratiæ et clementiæ Dei, ut ejus  
morte nos redimeremur. Licet enim Deus alia  
modo nos redimere potuisset, tamen non voluit,  
quia hic modus, ut scilicet per Christi mortem  
redimeremur, maxime decebat Dei infinitam  
bonitatem et misericordiam.

Secundo, quod Noster venit, pro omnibus,  
græce est τὸν πάντων, id est, pro omni, pro quo-  
libet: ut quod ponitur pro πάντων (et ita  
forte in Græco hic legendum est), id est pro om-  
nibus.

Tertio, pro gustaret, libera vult legendum,  
gustavit; ipse enim sine hyperbatō hæc sic ex-

Cum  
finale  
omni-  
um  
Christi.

Christi  
pro  
angeli  
etiam  
mortuus  
est, quo-  
modo?

phæat: Propter passionem mortis, inquit, gloria  
et honore coronatus est Christus: ex quo sequit-  
ur, quod mortem gustavit Christus, non fuisse  
suae culpæ, aut peccati alicujus, quod fecerit  
Christus, quoque mortem sit meritis; sed hoc  
fuisse pure Dei gratiæ et misericordiæ. Nam vo-  
culla ut, inquit Ribera hic, ut et alibi, sæpe non  
finem, sed sequelam, sive id quod consentiatum  
est, significat. Verum omnia exemplaria Latina  
et Græca habent, γούστῃ, id est gustaret: et hæc  
ejus expositio, licet ingeniosa, satis implexa et  
æquiva videtur; ergo admittendum est hyperbaton,  
quod jam dixi, illudque admittit S. Augustinus,  
lib. III contra Maximinum, cap. XXV; S. Thomas,  
Adamus et alii: tunc enim omnia sunt plana, et  
hyperbata Apostolus, utpote spiritu turgidus, ha-  
bet familiaria, ut dixi Can. 38.

Hæc ergo sententia pendet et coheret cum  
minoratus est, q. d. Christus minoratus est, dum  
factus est homo passibilis, hæc de causa, ut  
scilicet ex magna Dei misericordia, pro homi-  
nibus patiens et moriens, eosdem morte et in-  
ferno liberaret, uti dixi.

Quarto, dicit Apostolus Christum non comē-  
disse, sed gustasse mortem, quia non mansit  
Christus, imo vix hesit in morte: nam statim  
resurrexit, ita ut videatur mortem non hausisse,  
neque epotasse, sed degustasse tantum, quomodo  
infra cap. VI, vers. 4, dicitur nonnulli donum  
Dei gustare, quod mox evomunt. Ita S. Chry-  
sostomus. Verum simpliciori et communiore he-  
braismo, gustare mortem idem est, quod mori,  
sive mox resurgas, sive in morte perduas, ut  
patet Joan. VIII, 52, Math. XVI, 28, et alibi.  
« Sicut medicus, inquit Theophylactus, cum videt  
ægrotum fastidire cibos et pharmaca, prior ipse  
ea sumit, ut ægrum ad eadem sumendum in-  
ducat: ita Christus prior gustavit mortem, ut  
eam gustare non horreat Christianus. »

10. DECEBAT ENIM EUM, PROPTER QUEM OMNIA,  
ET PER QUEM OMNIA, QUI MULTOS FILIOS IN GLORIA  
ADDEXERAT, AUTOREM SALUTIS EORUM PER PAS-  
SIONEM CONSUMMARE. — Id est, decebat Deum Pa-  
trem, Christum passioni tradere. Deus enim Pater  
est is, propter quem et per quem sunt omnia.

Ubi nota præpositionem δὴ, id est per, tribui  
quoque Patri: male ergo ea, quod alibi tribui  
soleat Filio, colligunt Ariani, Filium Patre esse  
minorem. Rursum male Nestorius illum propter  
quem omnia, dicebat esse Patrem, illum vero  
per quem omnia, esse Filium; quasi hi duo Jesum  
a se persona distinctum passione consumma-  
rint: utrumque enim soli Patri hic tribuitur,  
idque eo fine, q. d. Apostolus: Quia Deus Pater  
omnia facit perfectissima propter se et suam glo-  
riam, hinc decebat, ut et Christum passione  
consummaret ad scilicet in Christo justitiam,  
bonitatem, sapientiam omnemque gloriam osten-  
deret.

Secundo, « adduxerat, » id est, adducere de-

creverat et prædestinaverat: sive adduxerat, non  
actu et re ipsa, sed in æterno suo decreto et  
prædestinationale. Vide Can. 36. Jam per filios in-  
telligit justos et sanctos. Loquitur autem Apo-  
stolus maxime de Sanctis, qui ante Christum  
vixerunt, jamque defuncti erant in statu salutis,  
et certa spe gloriæ; tantum enim expectabant  
Christum, qui morte sua celum et altum ad  
gloriam aperiret: hi enim jam quasi adducti ad  
gloriam, unumque pedem in celo habere vide-  
bantur. Rursum, pro auctorem græce est ἀγαγὼν  
il est, principem et ducem, q. d. Decebat Deum  
Patrem, qui multos homines per Christum de-  
creverat adducere ad celestem suam gloriam,  
ut Christum ipsum, quasi auctorem et ducem  
omnium, passione et morte consummaret; cur  
id decebat, subindicat voce consummare, et cla-  
rius id ipsum explicat vers. sequenti, quia scilicet  
decebat Christum fratribus assimilari, eisque  
præire: fratres autem Christi, id est, Sancti  
omnes, per multas passiones a Deo ad glo-  
riam provecti et perducti sunt, et indes perdu-  
cuntur.

Tertio, aliqui hic legunt; consummari passive,  
sed legendum est active consummare. Ita Romani  
et Græci. Ubi nota, Græcum καταναίωμαι, quod nos-  
ter vertit consummare, multa significare, et vari-  
verti posse, scilicet primo, immolare; secundo,  
gloriosum facere; tertio, consummare, vel, ut Syrus,  
perfectum facere; ut hæc perfectio opponatur  
et rependatur quasi præmium Christi imita-  
tioni, de qua dixi: « Minuisti eum paulo minus  
ab angelis. » Consummare ergo idem est, quod  
gloria et honore coronare, sive facere ut Christus  
resurgens gloriosus sit in celo, sedens ad dex-  
teram Patris, et in terra ab hominibus colatur  
et adoretur, quasi mundi salvator et Dominus.  
Ita Theophylactus, Oecumenius et alii. Quarto,  
καταναίωμαι idem est, quod consecrare. Unde S. Dio-  
nysius, lib. De Eccles. Hierar., passim Sacramenta  
vocat καταναίωται, q. d. Consecrationes, quia verbis  
sacris quasi formis conficiuntur et quasi conse-  
crantur. Hinc et καταναίωται dicebantur Martyres,  
quia sollicit per martyrium Martyr non tantum  
perficunt, sed et immolatur atque consecratur  
Deo. Unde et Christus, Joan. XVII, 19, ait: « Ego,  
inquit, pro eis sanctifico meipsum, id est, offero,  
consecro et immolo meipsum Patri tanquam  
sanctam victimam, ac pretium redemptionis et  
sanctificationis hominum. Hoc ergo verbo κατα-  
ναίωται, significat Paulus, Christi passiones et dolores  
non fuisse signa infirmitatis et vililitatis Christi,  
sed fuisse augusta quamdam sacrificia, quibus  
Christus in pontificem et redemptorem quasi  
consecratur et sanctificatus est; ideoque decuisse  
Christum hæc passiones obire, usque perfici et  
consecrari.

Moraliter, vide hic quid sint passiones et afflic-  
tiones, quamque utilites sint et nobiles, ideoque  
non fugiendæ, sed cum Christo et Sanctis om-

Cum  
finale  
omni-  
um  
Christi.

Cum  
finale  
omni-  
um  
Christi.

Consum-  
mare et  
significat  
etiam  
consecra-  
re.

Marty-  
rio  
Martyr  
perfic.



nibus ambiende: passionibus enim finis perfecti, gloriosi, sancti, imo victimæ et sacrificia Dei optimi maximi, adeoque hæc de causa permittit Deus hominem labi in peccatum et tot ærumnas, ut in tot passionibus magnitudinem suæ gratiæ, virtutis et patientiæ ostenderet; utque his nos expoliret, perficeret et ad magnam sanctitatem et gloriam perduceret. Hinc illa pia fidelium est consuetudo, ut, cum quis eorum moritur, dicant, *Consummatus est*, quia scilicet, qui pie mortuus est, omnium suorum laborum et dolorum, omnis patientiæ et virtutis, omnisque meriti, ac consequenter et præmii et gloriæ perfectionem, finem et terminum adeptus est.

11. QUI ENIM SANCTIFICAT, ET QUI SANCTIFICANTUR, EX UNO OMNES. — Supple sunt, et solent esse, q. d. Christus qui homines in peccatum et mortem lapsos sanctificat, et homines qui a Christo sanctificantur, ex uno, scilicet Adamo, orti et progenerati sunt omnes. Vel, « ex uno, » in genere neutro, id est, ex una stirpe, ex una et eadem natura, scilicet humana, sunt et constant. Loquitur Apostolus non de Deo, qui quasi Dominus nos sanctificat, nec de Angelis, qui suis monitis et precibus nos sanctificant, sed de Christo, qui nos sanctificat, quasi pontifex, mediator et redemptor noster: hunc enim decet esse ejusdem naturæ cum iis, quos redimit et sanctificat, et hoc est, quod ait cap. v, vers. 1: « Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur. »

Probat hic Apostolus id quod præcessit, scilicet decessisse Christum, qui quasi salutis auctor multos in gloriam adduxit, et indes adducit, pati, et per passionem consummari. Id probat hoc argumento: Decet pontificem qui sanctificat, qualis est Christus, et eos qui sanctificantur ab eo, esse ex uno omnes, id est, esse ejusdem naturæ omnes; atqui homines qui sanctificantur sunt naturæ passibilis, miseræ et ærumnosæ, multaque patiuntur, ac tandem moriuntur, ut experientia notissimum est: ergo et Christum decuit esse naturæ passibilis, multaque pati ac mori. Quare hoc explicans Apostolus deinceps usque ad finem capituli, inter alia sic ait, vers. 17: « Unde debuit per omnia fratribus similari, ut miseriores fieret; et fidelis pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi: in eo enim in quo passus est ipse et tentatus, potens est et eis qui tentantur auxiliari, » q. d. Ne scandalizemini, o Hebræi, Christi passione, cruce et morte: hæc enim non indecens et indigna, sed maxime congrua et digna fuit, et censens Christum. Decebat enim Christum pati et mori, hæc de causa, ut scilicet fratribus hominibus assimilaretur, idque primo, ut eis tum patientiæ et charitatis exemplo præiret, dando pro eis vitam suam in pretium.

Secundo, ut sanctiæ justitiæ, illique satisfaceret, ne scilicet dedecus peccati maneret sine decore justitiæ, et justæ vindictæ ac pænæ. Hæc

de causa pœnam omnem et vindictam hominibus debuit in se homine suscepti Christum, itaque peccatum patiendo expiavit, dum pro peccato, sua passione et morte satisfacit parti læsæ, scilicet deo offenso.

Tertio, quia decebat ut non angelus, sed homo pro homine satisfaceret, non agendo, sed patiendo: hæc enim est satisfactio, quam postulat reatus et culpa.

Nota: Loquitur Apostolus de Christo, qui sanctificat tanquam pontifex et redemptor, et iis qui sanctificantur a peccato, ita ut expiatione et victima indigeant, quales sunt homines in peccatum lapsi. Hos enim decet esse ejusdem naturæ: tales autem non sunt angeli qui nunquam peccarunt. Hi enim a Christo homine, etiamsi alterius sit naturæ, sanctificari poterunt, et, ut multi opinantur, de facto sanctificati sunt in primo instanti suæ creationis: quando, ut ait S. Augustinus, in eis Deus fuit simul condens naturam et largiens gratiam. Unde hic locus non obstat sententiæ eorum, qui opinantur Christum non tantum homines, sed et angelos sanctificasse, id est propter merita Christi non tantum hominibus, sed et angelis a Deo collatam esse gratiam, ut dixi *Ephes. 1, 22*.

Secundo, alii et ex uno sic explicant: Ex uno, scilicet Deo conditore, tam factus est Christus sanctificans, quam omnes homines qui sanctificantur, ita Ambrosius, Anselmus, Chrysostomus, Theodoretus, S. Thomas, Theophylactus, q. d. Apostolus: Omnes fratres sumus ex Deo Patre geniti, decuit ergo omnes nos quasi filios Deo Patri nostro reconciliari, idque per Christum, utpote fratrem nobilissimum, qui Sanctus sanctorum est, omnesque sanctificat; non autem per alios, qui sanctificantur et sanctificatione indigent. Decuit itaque Christum nos reconciliare, nos redimere et pro nobis satisfacere: decuit ergo Christum pati. Verum hic sensus generalior est et difficilior, nec ita stringit et urget, ut prior, qui prævidetur genuinus est, eumque confirmant omnia scriptura, ac præsertim illud, quod dicitur vers. 16: « Nunquam enim angelos apprehendit, sed semen Abrahamæ apprehendit: unde debuit per omnia fratribus similari. » Quibus verbis satis significat Apostolus Christum esse fratrem nostrum, non quia ex Deo factus est uti et nos, sed quia ex Adamo et Abrahamo natus est, eademque nobiscum naturam humanam accipit.

Tertio, S. Dionysius, *De Eccles. Hierarch.*, p. 4, sub finem, et Cyrillus, lib. *De Fide ad reginas*, cap. Quod unus sit Filius Dei et Dominus Jesus Christus, sic legunt, qui sanctificat et sanctificantur, et intelligunt Christum, Christus enim ita sanctificat, ut simul sanctificetur a Deo, q. d. Apostolus: Christus qui sanctificatur et simul sanctificat, atque omnes nos ex uno, scilicet Deo, patre sumus geniti. Sed hoc videtur nonnihil contortum; Apostolus enim non dicit: « Qui sanctifi-

Angeli  
Christo  
sanctifi-  
cari i-  
tuorunt.

Christus  
Sanctus  
Sancto-  
rum, omnes  
sanctifi-  
cans.

Christus  
frater  
nobiscum.

cat et sanctificatur, et omnes ex uno; » sed dicit: « Qui sanctificat, et qui sanctificantur, ex uno omnes. » Adde, omnia exemplaria Græca, Latina et Syra habere, qui sanctificantur; non autem, qui sanctificatur.

PROPTER QUAM CAUSAM NON CONFUNDITUR (NON ERUBESCIT CHRISTUS) FRATRES EOS (HOMINES EX UNO PATRE ADAMO SEUUM NATOS) VOCARE DICENS: NUNTIABO NOMEN TUUM (O PATER), 12. FRATRIBUS MEIS (APOSTOLIS, ALIISQUE QUOS FIDELIS AC CHRISTIANOS PREDICANDO EFFICIAM), IN MEDIO ECCLESIE (CHRISTIANE A ME CONGREGANDÆ) LAUDABO TE. — Citat vers. 23 *Psal. xxi*, quem clarissimum est scriptum esse de Christi passione, prædicatione, morte et resurrectione. Probat ergo Apostolus Christum et nos omnes esse ex uno, scilicet patre, genitos, ex eo quod Christus et nos omnes sumus fratres, scilicet secundum communem tam naturam quam spiritum, quodque Christus, *Psal. xxi*, nos vocat fratres suos: si enim sumus fratres Christi, ergo ex uno et eodem patre geniti sumus, tam Christus, quam nos omnes. Simul inquit Apostolus modum, quo Christus nos sanctificat et ad gloriam adducit, scilicet nuntiando et prædicando nomen et cultum Dei veri et vivi, qui se a passione, cruce et morte liberavit, et resuscitavit ad vitam immortalam: patet enim ex præced. versiculis et seq. *Psal. xxi*, et nuntiatio pertinere ad resurrectionem Christi, q. d. Christus: Post meam a morte et cruce liberationem et resurrectionem, nuntiabo et celebrabo coram Apostolis meisque discipulis Dei liberatoris et resuscitatoris nomen et gloriam. Magna dignatio et consolatio nostra esse debet, quod Christus etiam post resurrectionem immortalis jam et gloriosus, nos dignetur vocare fratres suos, et quasi fratribus hæreditalem suam in oculis nobis præparet.

13. ET ITERUM: EGO ERO FIDENS IN EUM. — Citat *Psal. xvii*, vers. 3, quo psalmo (ut habet titulus *Il Reg. cap. ult.*) David ad litteram gratias agit Deo, quod toties a Saul, Philisteis aliisque hostibus et periculis se liberavit. Allegorice competit Christum, qui Deo gratias agit, quod a Judeis, demonibus, passione, cruce, morte omnique malo se liberavit: unde ait vers. 3: « Ego ero fidens in eum, » q. d. Ego Christus instar aliorum hominum, mori et miseris obnoxius, in persecutione, passione et tribulatione, perinde ut David, constitutus, in communi Deo Patre sperabo, eumque fidens invocabo, ut liberet me. Probat Apostolus alio testimonio Christum et omnes nos esse ex uno Adamo progenitos, sive Christum ejusdem naturæ esse naturæ passibilis, miseris et morti obnoxio, ex eo quod Christus sperans et ita vocans Patrem, hoc ipso testatur, se in afflictione et passione esse positum.

Verum verius videtur, Apostolum non citare hic *sal. xvii*, vers. 3. Ibi enim in Græco est *Dei genitum*, d. *Isaia viii*, 17, ubi dicit *Isaia* in persona

Christi: « Et expectabo Dominum, qui abscondit faciem suam a domo Jacob, et præstolabor eum; » ubi pro *præstolabor* eum, Septuaginta verunt, *manebis expectans eum*, id est, fidens ero in eo, uti ad verbum citat hic Paulus. Nota: Dixit *Isaia* illo cap. naseiturum? Num, cui nomen erit: *Accelerata spolia detrahent, bestia prædatori*, id est *Christum, quia spoliatorum erat infernum et demonem*; unde vers. 8, vocat eum *Emmanuel*, nempe: *mox vers. 14*, dicit, quod *Christus Judæis sit futurus « in lapidem offensionis et in petram scandali, » ita ut multi ex eis ad illum offendant, cadant et contrantur. Quod quia triste erat, videbaturque Christi Salvatoris fortitudini et spoliatorum adversari, hinc statim seipsum in persona Christi consolans *Isaia* subdit, dicens: « Et expectabo Dominum, et præstolabor eum, » q. d. Videtur Deus populi sui oblitus, eumque abiecit, quia noluit Judæi mihi credere: ego tamen animo non cadam, spem non abjiciam, sed præstolabor eum, confidens aliquos saltem me conversurum ex Judæis, puta Apostolos, qui deinde omnes gentes convertant, itaque prædentur et spolient totum diaboli regnum.*

Ex quibus patet Apostolum hæc citatione et testimonio, non tam probare Christum esse ejusdem nobiscum naturæ passibilis (uti probavit testimoniis præcedenti), quam quod omnes gentes per Christum sanctificentur, itaque in filios et fratres adoptentur, et ad gloriam adduceantur.

ET ITERUM: EGO ERO ET PUERI MEI, QUOS DEDIT MIHI DEUS. — Pergit citare Apostolus sequentia *Isaia* verba, quorum hæc plena est sententia: « Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum et portentum Israel. » Loquitur *Isaia* in persona Christi, sive quasi typus Christi, ut dixi, q. d. Sicut ego *Isaia* et mei discipuli, puta alii Prophetae, me sequentes, ut *Ezechiel*, cap. *xiv*, vers. 24, *Zacharias*, cap. *iii*, vers. 8, et alii, hoc ipso quo divitias et honores contemnimus, ac tam mira prædicamus et valeamus, a Scribis et Judæis quasi stulti irridemur, habemurque quasi portenta et ostenta Israelis: ita et Christus, cujus ego *Isaia* sum præcursor et typus, cum suis Apostolis ac discipulis, ob novitatem vite, doctrine, paupertatis, humilitatis, passionis, superbis Judæis et Philosophis erit quasi portentum, spectaculum et ludibrium. Ita *Origenes*, *Basilius*, *Cyrillus* et alii in *Isaie* cap. *viii*, et hoc est quod ait Apostolus, *I Cor. 1, 23*: « Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam. »

Hoc ergo *Isaia* testimonio Apostolus probat utrumque, scilicet primo, Christum cum hominibus ejusdem esse naturæ passibilis, multaque esse passum: hoc enim significatur, cum ait: « Ecce ego et pueri, » id est filii, quos scilicet naturæ mee passibilis et mortalis consortes, tanquam pontifex spiritualiter gigno, facioque Chris-



tianus, cum quibus factus sum ludibrium et pernentum israel, ut patet ex vers. sequenti.

Secundo, hoc eodem testimonio probat Apostolus Christum omnes sanctificare: hoc enim ipso quo Christus filios egenit, eosdem sanctificat.

Nota: Pro *pueri* hebraice est *ילדים ילדמים*, id est nati, sive filii a pueri. Vide Clementem Alexandrinum, lib. I *Pædagog.*, toto cap. v, ubi pulchre docet omnes Christianos dici et esse debere pueros, per mortem et animi innocentiam, simplicitatem, facilitatem et teneritudinem, idque ut se conformet suo exemplari, scilicet Christo puero, de quo dixit *Isaias*, cap. ix, vers. 6: «Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis.»

14. QUIA ERGO FUERI COMMUNICARUNT CARNI ET SANGUINI, ET IPSE SIMILITER PARTICIPAVIT EISDEM. — «Communicare carni et sanguini» est esse participem carnis et sanguinis, id est humanæ naturæ, quæ carne et sanguine constat, q. d. Quia homines, quos Christus suos pueros et filios vocare dignatur, constant carne et sanguine, id est, natura humana fragili et passibili, hinc eandem induit quoque Christus, factusque est homo fragilis et passibilis. Pulchre S. Augustinus, in *Sententiis*, num. 262: «Sicut, ait, lac non transit nisi per carnem, ut parvulum pascat, qui panem edere non potest: sic nisi sapientia Dei, quæ panis est angelorum, ad homines dignaretur venire per carnem, nemo ad Verbi divinitatem contempnamdam posset accedere. Quia ergo lux a tenebris non poterat comprehendi, ipsa lux mortalitatem subit tenebrarum, et per similitudinem carnis peccati, participationem dedit luminis vari.

Ex hoc loco, ut recte docet S. Cyrillus, epist. 8 ad Nestorium, patet Christum uti carnem, ita et sanguinem humanum assumpsisse, eumque, non mediante carne et venis, sed immediate, ut verior habet Theologorum sententia, Verbo univise: cuius ratio est, quod sanguis, esto non sit animatus, uti caro animata est, proprie pertinet ad veritatem humanæ naturæ, et in Christo fuerit pretium redemptionis nostræ: unde et in consecratione calicis Eucharisticæ, cum sanguine Christi concomitantur ponitur totum suppositum Christi. Idipsum hic satis insinuat Apostolus, eum Christum tam sanguini, quam carni, id est utriusque, æque et immediate communicasse significat. Denique tradunt graves auctores, Clementem VI, hanc sententiam cuiusdam dicentis sanguinem Christi in triduo mortis ejus non fuisse Verbo unitum, utpote paratum a carne, ideoque nec latræ aurandum fuisse, damnasse, ut erroneam in fide.

Idem censent Theologi de reliquis humoribus et spiritibus tum vitalibus, tum animalibus in Christo, scilicet hæc omnia a Christi persona immediate fuisse assumpta et terminata. Secus est de accidentibus corporis et animæ: hæc enim suscepit Christus non immediate, sed mediante

corpore cui inhererent. Hæc de re plura qui volet, videat apud Scholasticos, et inter alios apud Franciscum Suarez, III *part.*, disp. 15, sect. 6.

UT PER MORTEM DESTRUERET CUM QUI HABERAT MORTIS IMPERIUM, — q. d. Christus communicavit nostræ carni et sanguini, id est, factus est homo, ut mori posset (quatenus enim Deus est, mori non poterat), idque hoc fine, ut scilicet per mortem suam destrueret diabolum, qui per peccatum nos traherat in mortem corporis et animæ, tam præsentem quam æternam. Unde *in mortis* posteriori loco laudat capl, quam priori: priori enim tantum mortem corporis præsentem et temporariam significat: hanc enim solum obivit Christus; posteriori vero significat mortem tam corporis, quam animæ, eamque tam præsentem, quam æternam: ad hanc enim pertrahit diabolus, illicque preest.

Nota, diabolus natus est mortis imperium non eo modo, quo rex et princeps dicitur in suos habere imperium, sed eo modo quo tyrannus, aut potius eo modo quo carnifex habet imperium in eos qui morti adjudicati, et suæ potestati ac manibus traditi sunt: diabolus enim in homines nullum unquam habuit jus aut legitimum dominium et imperium, sed tantum homines peccatis a justo iudice Deo suæ potestati traditos, quasi carnifex, exagit et morte mulctat. Dicitur ergo diabolus habere imperium mortis, quia homines impellit in peccatum, et consequenter in mortem. Quod ipse unice cupit, optat et gaudet, eosque qui mortui sunt et damnati, in morte et damnatione perpetua tenet, eisque præsidet et imperat.

Hinc secundo, dicitur Christus destruxisse diabolum, non quod personam aut substantiam diaboli destruxerit et annihilavit, sed quia ejus regnum et imperium destruxit, dum sua morte homines a morte præsentis et æternæ, ac consequenter a potestate demonis liberavit, effectique ut homines a morte ad vitam resurgenter immortalem et æternam: sic enim rex aut tyrannus dicitur destrui, cum ejus regnum aut tyrannis dicitur destrui, puta cum ipse suo regno et potestate tyrannica privatur et despoliatur.

15. ET LIBERARET EOS QUI TIMORE MORTIS PER TOTAM VITAM ORNOXI ERANT SERVITUTI. — *Scripturam* vocat metum et horrorem mortis, quotidie oculis et menti observantis: hic enim metus et horror omnes homines quasi servos opprimebat, et quasi vincos sub se definebat. miris angoribus arcebat, idque partim ex eo quod mors in se sit horribilis, et, ut ait Aristoteles: «Omnia terribillimum hujus vite terribillimum;» partim et magis ex eo, quod homines nescirent, quo post mortem essent devenituri, quid futurum esset de anima sua separata a corpore: an illa in cælum, an in infernum, an in aliquem aliud locum foret releganda; an beata, an misera esset futura. Imo cum ante Christum plerique essent

impii, et pœnarent, vel certe suscipiantur animam esse immortalem, nihil aliud post hanc vitam quam æternam mortem, et tormenta gehennæ expectare poterant; sicut reus homicidii cum deducitur in carcerem, ita eum ingreditur, ut non speret se inde nisi ad mortem exiturum.

Ita Adrianus Imperator moriturus, inquit Spartianus in ejus Vita, animæ suæ hoc carmine occinuit: «Animula, vagula, blandula, hospes comesque corporis, quæ nunc abibis in loca, pallidula, rigida, nudula? nec, ut soles, dabis jocos.» Ita Aristoteles moriturus, anxius dixisse fertur: «Nudus in hunc mundum veni, miser vixi, júbilus morior, quo venturus sim nescio, attamen tu, Ens entium, Causa causarum, miserere mei,» q. d. Apostolus: Christus liberavit homines ab horrore et angore mortis, effectique ut homines, qui antea mortem horrebant, quasi æternæ mortis exordium, et sub timore mortis, utpote cum ira et vindicta Dei conjuncta, ob peccata sua anxii, quasi serviebant, et quasi servi captivi in mortis metu et horrore tenebantur, nunc per Christum a peccato et morte liberati, fidentes et alacres accedant ad mortem, tanquam ad ærumnarum terminum, et melloris vitæ exordium, ut dicant: Vita mihi est in tædio, mors in desiderio: cupio dissolvi et esse cum Christo; mihi vivere Christus est, et mori lucrum. Ita Theophylactus, Oecumenius et alii.

Est hic locus moralis, quod Christiani mortem horrere et timere non debeant. Vide Chrysostomum in *moralibus hom. 4*, ubi docet Christianos suo tempore pro defunctis orare, psallere, et justa funebria, eo modo quo jam facimus, peragere solitos; insuper ex ritu gentilium consuevisse adhibere lamentationes, quæ omnibus fletum et commolationem moverent: sed idipsum, ne scilicet hæc amplius adhibeant, vetat Chrysostomus sub pœna excommunicationis: eo quod Christiani mortuos suos lugere non debeant, quasi mortuos, sed credere et sperare eos transire per mortem ad vitam meliorem. «Die mihi, inquit, quid sibi volunt lampades iste (in funere) tam splendide? nonne sicut athletas, mortuos comitatur? Quid etiam hymni? donec ut Deum glorificemus, et ei gratias agamus, quod jam coronavit discedentem, quod a laboribus liberavit, quod a timore liberatum apud se habet? Nonne propter hoc hymni? nonne propter hoc psalmodia? Et in *moralibus hom. 5*: «Si quis ergo lamentationes istas conduxerit, per nullum tempus eum ab Ecclesia arcebo quasi idololatram.» Et in *moralibus hom. 5*: «Si, inquit, tuba pietatis vocaverit, confestim procede et contemne animam, ingredere cum multa sinceritate in agonem, rumpe faciem adversario-rum, concide faciem diaboli, statue tropæum. Sanguinis oportet esse plenam Christi vitam: cum tanta ergo asceritate proprium sanguinem effundamus pro Christo, cum quantâ aquam quis

effudit; et cum tanta facilitate carnem exure debamus, cum quantâ vestimentum exuimus.»

Scriptis et S. Cyprianus (quem secutus est S. Ambrosius, lib. *De Bono mortis*) tractatum *De Mortalitate*, in quo docet Christianis mortem non esse timendam, sed appetendam. Accipe pauca et multas: «Quid, ait, est in mundo et vita hæc nisi pugna cum ira, gula, libidine? Hinc gratulatur Sapiens raptum esse jstum, ne malitia mutaret intellectum ejus; ita et Simeon: Nunc dimittis, inquit, servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace. Fidem resurrectionis non habet, qui ad meliora non festinat. Hinc angelus quemdam mori timentem alloquens et increpans ait: Pati timetis, exire non vultis, quid faciam vobis? Si domum minaretur ruinam, nonne ex ea migraretis? si navis in procella periclitaretur, nonne ad portum confugeretis: mundus hic senescit, et ruinam minatur, quin migras ad Patrem? ubi tu charorum turba expectat de sua salute secura, de tua sollicita.» Quod multis sub finem libri prosequitur. Quare idem Cyprianus, lib. *De Laude martyrii*: «Quid est, ait, martyrii, delictorum finis, periculi terminus, dux salutis, iter patientiæ, magister domus vite, quo profecto etiam ea occidunt quæ in futuro discrimine potuissent tormento reputari.» Vide dicta *Philipp.* cap. 1, vers. 23.

Ita Conradus Teutonicus, discipulus S. Dominici, vir miræ humilitatis, charitatis et patientiæ, in morbis acerbis semper habebat illud sponse in *Canticis* in ore: «Dilectus meus mihi, et ego illi, donec aspirat dies, et inclinentur umbra;» prædixit se moriturum in die Nativitatis B. Virginis anno Christi 1239, cui valde erat devotus. Moriturus ergo fratris circumstantibus dixit: «Scitote, fratres, me mori fideliter, amanter, confidenter et hilariter. Fideliter, quia morior in fide Jesu Christi Domini mei et matris Ecclesie. Amanter, quia a die quo indui hunc sanctum habitum, studui me conservare semper in gratia Dei, eique in omnibus quoad poteram placere. Confidenter, quia scio quod post mortem ibo ad domum Domini mei. Hilariter, quia istud punctum mortis in quo me videtis, tantum est transitus a planctu ad risum, a labore ad quietem.» Alius eodem nomine et eodem anno fixe intuens Christum crucifixum cancellatis in cruce firmam manibus, facie læta et ridenti dicens: «Eduo de carcere animam meam, ut confiteatur nomini tuo, Domine;» terque hunc versiculum repetens oculos cum vita clausit, et in cælum evolavit, uti refert Ferdinandus Castigius in historia Ordinis S. Dominici, part. I, lib. II, cap. xix. Idem cap. xv, narrat F. Romæum ejusdem Ordinis, magnam sui et mundi contemptorem, perpetuo habitus in ore illum versum *Psal. cxxvi*: «Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini,» eoque se in omni labore et ærumna exhilarare solitum. Cumque moriturus esset anno Christi 1261, Frater qui-

Dubitas et anxiosus de statu futuro anime post mortem.

Hæc animarum terminum.

Locus moralis de morte non tenenda Christianis.



dam absens nesciens eum versari in agone mortis, audit angelos eundem versiculum canentes : unde ad Romæum accurrens , eum agonizantem sancteque morientem reperit. Ibidem narrat F. Bernardum Canzium Tolosanum, insignem prædicatorem, cum moretetur, apparuisse socio cuidam existenti Lugduni in veste candida et lucida, ac cantasse : « Edent pauperes et saturabuntur, et laudabunt Dominum qui requirunt eum, vivent corda eorum in sæculum sæculi. » Ibidem, nb. III, cap. L, narrat F. Munium, qui creatus fuit Episcopus Palentinus, magnæ patientiæ virum, in morte dixisse : « In pace in idipsum dormiam et requiescam, » itaque sancte obdormivisse in Domino. Narrat S. Gregorius, lib. IV *Dialogorum*, cap. XLVII, Merulum spiritu ferventem, vidisse delabi sibi e celo in caput candidam coronam. Nec mora, ait, morbo correptus abijt ad Dominum hilaris; ejusque et sepulcro post annos quatuordecim, cum circumfoderetur, tanta odoris fragrantia manavit, ac si omnis illic florum aromatumque copia collecta esset.

16. NUSQAM ENIM ANGELOS APPREHENDIT, SED SEMEN ABRAHE APPREHENDIT. — id est, Christus non assumpsit angelicam naturam, ut eam repararet, sed humanam ex posteris Abrahæ. Ita passim Patres et Interpretes. Ac S. Bernardus, tract. *De Gradibus humilitatis* : « De Verbo, inquit, Dei dictum est, quod non angelos apprehendit, hoc est non in unam sibi personam assumpsit, sed semen Abrahæ. Neque enim legitur : Verbum angelus factum est, sed, Verbum caro factum est, et caro de carne Abrahæ, juxta promissionem quæ illi primum facta est. » Verum, quia Græcum ἐπιλαβέντα est præsentis temporis, non autem præteriti, q. d. Assumpsit, non autem Assumpsit; falsum autem in presenti est dicere, quod Christus assumat humanam naturam. Rursus, quia minus congrue et apte dicitur Christum assumere angelos aut semen Abrahæ, pro eo quod diceretur Christum assumere angelicam aut humanam naturam ex posteris Abrahæ, hinc melius noster interpres verit, non assumpsit, sed « apprehendit. » Cujus viri explicans Chrysostomus : Verbum, inquit, ἐπιλαβέντα, id est apprehendit, metaphoram habet sumptam ab eo qui magno studio sequitur aliquem, omniaque facit ut fugientem occupet et apprehendat : nos fugiebamus a Deo, ipse nos insecutus est, et velut injecta manu apprehendit nos, nec passus est perire. « Apprehendit » ergo idem est, quod insequitur, et insequendo apprehendit, q. d. Quod haecenus dixi Christum factum esse hominem, ut homines liberaret, id patet ex eo quod Christus angelos lapsos non sibi insecutus, nec insequatur, ut eos ad Dei gratiam et salutem revocet et reducat; sed quod insecutus sit homines, dum humanam naturam assumpsit, hominesque ad se vocavit et traxit, et indes insequatur homines lapsos, usque manus injiciat, uti fecit Saulo, eosque apprehendat, ut eos ad

salutem perducat. Hinc apte ait Christum apprehendisse semen non Adæ, sed Abrahæ, tum quia scribit Hebræis, qui expectabant Messiam Abrahæ patri suo promissum; tum quia Christus solos eos apprehendit et salvat, qui sunt semen Abrahæ, non secundum carnem, sed secundum spiritum, id est, qui sunt fideles, quique fidem et obedientiam Abrahæ imitantur.

Sic Græcum ἐπιλαβέντα alibi sepe Paulus submit pro insequi, assequi, manum injicere et apprehendere. Ut I *Timoth.* VI, 12, ἐπιλαβέτω τῆς αἰσχύνης ζωῆς, id est, persequere et apprehendere vitam æternam. *Hebr.* VIII, 9, ἐν ἡμέρᾳ ἐπιλαβέντος μου τῆς χάριτος ἀδελφῶν, id est, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem illos de terra Ægypti (1).

17. UNDE DEBIT PER OMNIA FRATRIBUS SIMILARI, UT MISERICORS FIERET, ET FIDELIS PONTIFEX. — q. d. Quia Christus homines apprehendit, voluitque homo fieri, ut posset esse hominum pontifex, redemptor et salvator, hinc decuit eum per omnia similem fieri aliis hominibus, tanquam fratribus suis : incongruum enim est et indecens, si frater fratri præcellere et dissimilis esse velit. Nota, *per omnia* accommodata accipiendum est; non enim Christus peccatum et concupiscentias assumpsit, aut habuit, sicut habent alii homines : « omnia » ergo, scilicet, non quæ culpæ, sed quæ naturæ humanæ sunt communia, puta naturæ humanæ communes dotes et passiones omnes, suscepit Christus. « Nam et nutrimenti, inquit Theodoretus, fuit particeps, sicut et nos, et laborem sustinuit, et anxio fuit animo, et levit, et mortem subijt sicut et nos. » Hæc enim sola pontificem nostrum et redemptorem assumere decebat. Cum ergo dicit « omnia, » excipie peccatum et concupiscentiam, quæ ad peccatum vergit et trahit : hæc enim excipit Apostolus, capite IV, vers. 15. Rursus excipie naturæ vitia, puta civitatem, surditatem, febres aliosque morbos, qui non tam naturæ totius, quam privatorem et certorum hominum sunt defectus et vitia, quæ proinde non decuit Christum suscipere. Morbi enim oriuntur, vel ex imperfecta corporis formatione et vitio saminis, vel ex intemperantia, vel ex inscientia et imprudentia, quæ res noxiis valeditini ignoramus, vel non advertimus. Horum autem nihil fuit in Christo : Christi enim corpus perfectissimum fuit, utpote formatum a Spiritu Sancto. Rursus Christus temperantissimus erat, omniumque rerum etiam medicarum peritissimus, et longe peritior Adamo, qui in statu innocentie nulli morbo obnoxius fuit. Christus ergo corpus suum optime temperatum sua temperantia, sapientia et providentia conservabat a noxiis, quæ valeditinem ledere poterant, in perpetua temperie et sanitate. Adde, ubi nulla erat concupiscentia,

(1) Græcum ἐπιλαβέντος τὸν τὸν, non potest indifferenter assumere alioquin naturam; sed proprie est prehendere aliquem, deinde etiam sepe prehendere aliquem opus ferreus causa, open ferre, ut h. l.

Christi omnia naturæ humanæ assumpsit per omnia

Morborum origo

Adams in statu innocentie nulli morbo obnoxius

nullum deuisse esse morbum, præsertim cum morbus impedimento fuisset laboribus, peregrinationi et prædicationi Christi. Ita ex Damasceno B. Thomas, III *part. Quest.* XIV, art. 4, et ibidem Suarez et alii. Sensus ergo Apostoli est, q. d. Christus non habuit corpus coeleste et impassibile, uti voluerunt Valentiniani; sed terrestre, mortale, passibile, simile nostro, ut fami, frigori, algori, plagis et verberibus esset obnoxium, æque ac nostrum, idque eo fine, ut scilicet « misericors fieret, et fidelis pontifex ad Deum, » id est, ut misereri nostri disceret (Christus per experientiam miseriæ nostræ, ejusque sensu tangeretur. Licet enim illam, uti et alia omnia per scientiam infusam optime nosset, tamen non noverat illam per scientiam experientialem : longe enim aliter erumnas et miseriæ cognoscimus, dum eas ipsi experimur, quam dum eas speculamur, vel in aliis intuemur. Rursus passiones nostras suscepit Christus hoc fine, ut « fieret fidelis pontifex, » id est, ut vere et fideliter obiret munus pontificis, quod est, Deum placare et homines Deo reconciliare; illud autem facere non potuit Christus, nisi patiendo et moriendo : nec enim aliter divine justitiæ et voluntati satisfecit poterat.

Posset secundo, « fidelis » accipi passive, q. d. « fidelis, » id est, talis ob experientiam et condolentiam miseriæ nostræ, cui merito fidemur et crederemus nos omniaque nostra. Unde S. Bernardus, tractatu *De Gradibus humilitatis*, sic explicat : « Christus, inquit, humanis voluit communicare miseris (quod est per omnia fratribus assimilari) ut similiter passis ac tentatis misereri ac compati ipso disceret experimento. Quo quidem experimento non dico ut sapientior efficeretur, sed propinquior videretur, quatenus infirmi filii Adam (quos suos fieri et appellari fratres non indignatus est) suas illi infirmitates committere non dubitarent, qui sanare illas et posset ut Deus, et vellet ut proximus, et cognosceret ut eandem passus. »

AD DEUM. — Græce τὰ πρὸς τὸν Θεόν; intelligitur xpx̄, q. d. xpx̄ τὰ πρὸς τὸν Θεόν, id est, secundum ea quæ spectant ad Deum, quæque apud Deum erant agenda, ut scilicet fidelis esset pontifex iis in rebus, quæ spectant Dei reconciliationem cum hominibus : unde explicans subdit : « Ut reprobatiere peccata populi, id est, ut vertit Vatallus et Erasmus, ad expiandum peccata populi.

18. IN QUO PASSUS EST IPSE ET TENTATUS, POTENS EST ET EIS QUO TENTANTUR AUXILIARI. — Nota græcissima: In eo in quo passus est, id est, idco quod passus est, vel quia passus est. Secundo, « tentatus » idem est quod vexatus et afflictus. Unde in Græco deest copula et, ita ut « tentatus » cohereat cum passus, illudque explicet et inculcet : habent enim Græca sic, ἐν ᾧ γὰρ ἠνάσθη αὐτὸς παρὰ τῆς, id est, in eo enim quod ipse passus est cum tentaretur, id est, affligeretur et vexaretur : hoc ipso ergo quo passus est, ten-

tatus est Christus. Sic dicimus nos tentari fame, frigore, febrī, id est, iis affligi, cruciari. Tentatio itaque hic vocatur quavis afflictio et dolor, quia hisce tentatur, id est, probatur et exploratur, ejusque virtus et patientia. Hoc ergo sensus ait S. Jacobus, cap. I, 2 : « Omne gaudium existimate, fratres, cum in tentationes varias incideritis, scientes quod probatio idet vestre patientiam operatur. » Alii non improbabiliter tentationem a passione distinguunt, eo quod non vero interpres ea videtur distinguere dicens : « Passus et tentatus. » Itaque tentationem hanc interpretatur sollicitationem ad malum, quia diabolus Christum et Christianos tentat, et ad peccatum impellit : Christus enim tentatione sua meruit nobis opem et auxilium in omni tentatione. Ubi nota, Christum exterius tantum a diabolo tentationem proponente tentari potuisse; non vero interius a concupiscentia aut motu aliquo phantasie inordinato : hic enim in Christo esse non potuit. Rursus hunc versum (Ecce enim, Vatallus et Erasmus ita vertunt, nam ex hoc quod contigit ipse tentatus esse, potest et iis qui tentantur auxiliari. Sic enim Græcum ἠνάσθη, æque ac Latium « passus est, » subinde capitur pro contigit, ut cum dicimus : Quid passus es ut ita rideas et exultes? id est, quid tibi contigit tam lætum ac faustum, ut ita exultes? Verum nostra versio, ac consequenter primus sensus jam datus plenior est, certior et solidior.

POTENS EST ET EIS QUI TENTANTUR AUXILIARI. — Tò potens idem est, quod aptus et idoneus; sic enim hanc Christi potentiam explicat Apostolus, cap. V, vers. 2, cum ait : « Qui condolere possit (id est, idoneus, aptus et facilis sit ad condolendum) iis qui ignorant et errant. » Hunc sensum exitit vox enim, quæ dat causam our vers. præcedent. dixerit Christum esse misericordem pontificem, quia scilicet potens, id est, aptus et facilis, et proclivis est, ut tentatorum misereatur, iisque auxilietur. Unde Theophylactus, potens, inquit, id est pronus, promptus et paratus est ad auxiliandum : qui enim proclives et propensi sunt ad misericordiam, hi maxime apti et idonei, maximeque potentes et efficaciæ sunt ad auxiliandum. Secundo tamen, S. Chrysostomus τὸ potens proprie capit, datque hunc sensum bene congruum et appositum. Dixerat Apostolus Christum esse pontificem misericordem et fidem : requirebatur tertia conditio pontificis, ut sit potens auxiliari, ne qui putaret hanc in Christo desiderari, si eam a se omissam esse; hinc Apostolus quasi præoccupans hanc objectionem subdit, quæ conditione non posse esse dubium, q. d. Dixi Christum habere omnes conditiones veri pontificis, scilicet misericordiam et fidelitatem; nam quod ad tertiam, scilicet potentiam, attinet, certum est illum Christo non deesse, quia Christus sua tentatione et passione injusta sibi utpote innocentii inflicta meruit dominari

Tentatio et probatio consistit per afflictiones

Christi exterius a diabolo tentari potuit

Christi ad misericordiam et auxiliandum propeclivus



omnibus tam tentationibus et passionibus, quam demonibus et hominibus eas infligentibus, ac consequentur hereditatem, ut possit illis qui tentantur et patiuntur, auxiliari, eosque victores et triumphatores efficere.

Moraliter hic nota, eos qui tentationes in seipsis vincunt, juste a Deo hoc premio donari, ut aliis eadem tentatione pulsatis auxilientur, eamque in iis evincant. Ita qui spiritum superbiae, gulae, irae in se domuerint, facile eundem in aliis edomabunt. Ita qui scrupulos in se superarunt, scrupulosos facile sanabunt. Imo sanctorum anachoretarum hic fuit sensus et sententia, ut, quem quisque demonem se tentantem subiret, eundem ab aliorum non tantum mentibus, sed et corporibus ab eo obsessis et possessis expulsum dicitarent. Ut alios taceam, abbas Pityrion, discipulus S. Antonii, ejusque spiritus heres, atque in expellendis demonibus potens et efficax, suos idipsum docuit, cum apud Palladium in *Lausiacis*, cap. LXXIV, ita loquitur: « Quisquis, o filii, vult exigere demones, prius in servitute reddat affectiones animi: qualem enim quis superat affectionem, ejus quoque expellit demonem; oportet autem vos paulatim vincere affectiones, ut earum expellatis demones. Si quis ergo gulam superaverit, expellit ejus demonem. »

## CAPUT TERTIUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

*Præfert Christum Moysi, tanquam dominum famulo.*

*Deinde, vers. 7, ad finem, exemplo patrum qui ob incredulitatem terra promissa exclusi sunt, deterrat Hebræos ab apostasia a fide Christi, ne et ipsi celo excludantur.* « Hodie, inquit, si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, » etc., *urgetque* hodie.

1. Unde, fratres sancti, vocationis celestis participes, considerate Apostolum et Pontificem confessionis nostræ Jesum: 2. qui fidelis est ei, qui fecit illum, sicut et Moyses in omni domo ejus. 3. Amplioris enim gloriæ iste præ Moyse dignus est habitus, quanto ampliore honorem habet domus, qui fabricavit illam. 4. Omnis namque domus fabricatur ab aliquo: qui autem omnia creavit, Deus est. 5. Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo ejus tanquam famulus, in testimonium eorum, quæ dicendæ erant: 6. Christus vero tanquam filius in domo sua: quæ domus sumus nos, si fiduciam, et gloriam spei usque ad finem, firmam retineamus. 7. Quapropter sicut dicit Spiritus Sanctus: Hodie si vocem ejus audieritis, 8. nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto, 9. ubi tentaverunt me patres vestri; probaverunt, et viderunt opera mea 10. quadraginta annis. Propter quod infensus fui generationi huic, et dixi: Semper errant corde. Ipsi autem non cognoverunt vias meas, 11. sicut juravi in ira mea: Si introibunt in requiem meam. 12. Videte, fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis, discedendi a Deo vivo; 13. sed adhortamini vosmetipsos per sin-

ne rursus Sancti in celo beati, qui in hac vita multa passi sunt, invocantur a nobis, ut in eo quod passi sunt, nobis idem patientibus auxilientur apud Deum. Ita a sanctis virginibus, quæ pro castitate ad mortem usque certæ ant, petimus opem in tentatione libidinis. Ita a SS. Martyribus petimus, ut nobis impetrent robur in tentationibus fidei et persecutionibus hereticorum et infidelium. Ita a S. Job, Eustachio et similibus petimus in infortuniis et adversis patientiam. Quinimo particulatim, in dolore dentium invocamus S. Apollonium, cui pro Christo excussi sunt dentes. In peste invocamus S. Rochum, cujus insignis charitas in iis qui peste laborabant curandis tota Italia celebratur. In maris tempestate invocamus S. Nicolaum, qui vivens eam miraculose sedavit. In vineulis invocamus S. Leonardum, qui vivens multos vineculis liberavit. In morbo comitiali invocamus S. Valentinum; in infamia et ignominia S. Susannam: hanc enim ipsa pro castitate subit, et suis precibus depulit. In aliis morbis et ærumnis alios invocamus Sanctos, qui easdem perpessi sunt. Hæc enim congrua eorum passioni et patientie merces a Deo tributa est, ut ad eorum preces Deus simili passione laborantibus opulari et succurrere, itaque Sanctos suos glorificare velit et destinari.

gulos dies, donec Hodie cognominatur, ut non obduretur sicut ex vobis fallacia peccati. 14. Participes enim Christi effecti sumus: si tamen initium substantiæ ejus usque ad finem firmum retineamus. 15. Dum dicitur: Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, quemadmodum in illa exacerbatione. 16. Quidam enim audientes exacerbaverunt, sed non universi qui profecti sunt ex Ægypto per Moysen. 17. Quibus autem infensus est quadraginta annis? Nonne illis, qui peccaverunt, quorum cadavera prostrata sunt in deserto? 18. Quibus autem juravit non introire in requiem ipsius, nisi illis, qui increduli fuerunt? 19. Et videmus, quia non petuerunt introire propter incredulitatem

1. UNDE, FRATRES SANCTI, Vocationis celestis participes, considerate Apostolum et Pontificem confessionis nostræ Jesum. — Christiani olim vocabantur fratres, ob mutuum charitatem et communionem in Christo. Vocabantur et sancti, ob sanctitatem baptismi acceptam, et vite morumque innocentiam, q. d. Vos, o Hebræi Christiani, vocati estis, non ad bona terrena, quæ in judaismo vobis olim promittebantur, sed ad bona celestia possidenda. Considerate ergo non Moysen, non Aaronem olim pontificem vestrum; sed Jesum, qui hujus vocationis est auctor et pontifex. Nota: Vocat Paulus Christum Apostolum, id est; legatum Dei, quem scilicet Deus legavit ad homines, maxime Hebræos, ut eos doceret et Deo reconciliaret. Apostolus ergo idem est, quod Propheta, doctor et legislator missus a Deo; Pontifex autem idem est, quod summus sacerdos, qui Deum placet, oratque pro populo.

Nota secundo: « Confessionem » vocat Apostolus fidem et religionem, quam confitemur et profiteamur: confessio enim hæc non est aliud quam professio fidei et legis Evangelicæ, quam docuit nos Christus tanquam Apostolus, id est Propheta, doctor et legislator, et tanquam Pontifex noster. Ita Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius. Aliter S. Thomas et Anselmus: Apostolus, inquit, et Pontifex nostræ confessionis est Christus, quem scilicet omnes Christiani confitemur et agnosimus esse Apostolum, Pontificem et Salvatorem nostrum (1). Sed prior sensus magis est genuinus: sic enim Apostolus « confessionem » solet sumere pro fide et doctrina, quam confessi sumus in baptismo, ut dixi Rom. x, 40.

Nota tertio: Apostolus, cap. i et ii, ostendit Christum angelis esse majorem, tanquam Deum et Dominum omnium; hoc cap. et seq. descendit ad Moysen et Aaronem, ostenditque eodem argumento Christum iis longe esse præstantiorem: tota enim difficultas Hebræorum, quam habebant in Christo et christianismo, erat, quod Moysi, primo suo legislatore, apostolo et propheta aveli non possent. Hinc illa vox Judæorum ad cæcum a Christo illuminatum, Joan. ix, 28: « Tu discipulus illius sis, nos autem Moysi disci-

puli sumus: nos scimus quia Moysi locutus est Deus, hunc autem nescimus unde sit. »

Paulus ergo hoc cap. et seq. comparat et præfert Christum Moysi, tanquam Apostolum Apostolo; cap. vero vi et seq. comparat et præfert Christum Aaroni, tanquam pontificem pontifici. Licet enim Moses eminenter quoque fuerit pontifex, utpote qui Aaronem in pontificem consecravit, et Deo sæpius sacrificavit, illumque populo reconciliavit, tamen postquam Aaronem creavit pontificem, illi pontificis munia reliquit, ipse vero Apostoli vices primo sibi a Deo delegatas obivit, ut videlicet esset legislator, propheta, doctor et dux populi: donec veniret Christus, novus et summus legislator, propheta, doctor et dux populi, non tantum Hebræi, sed et Gentilis.

Urget ergo hic Apostolus Hebræos, ut a Mose ad Christum, qui jam advenit, transcant quasi a typo ad autotypum, ab umbra ad veritatem: tota enim hæc epistola deinceps Apostolus Hebræis, ex allegoria Moysi, Aaronis et legis veteris, probat Christi et christianismi per illa adumbrati veritatem et præcellentiam.

2. Qui (Jesus Christus) fidelis est ei, qui fecit illum. — « Fecit illum, » scilicet Apostolum et Pontificem: hoc enim repetendum est ex vers. præced. Unde Vatablus vertit, qui constituit illum. Christus ergo fidelis Deo fuit Apostolus, qui fideliter nuntiavit hominibus Dei voluntatem et leges; fuit et fidelis Pontifex, quia fideliter redemptionem et expiationem nostrorum peccatorum, etiam cum vite sue dispendio, peregit.

Sicut et Moyses in omni domo ejus, — id est, in populo Judaico, qui est domus, id est Ecclesia, in qua habitat et colitur Deus creator, patet vers. 6. In hæc ergo Ecclesia veteri fidelis Deus fuit apostolus et legatus Moyses: fidelis, inquam, in legislatione, in jussis et oraculis Dei populo annuntiandis, in cura et regimine populi juxta mentem et voluntatem Dei. Citat Apostolus Numer. xii, 7. Pulchre Theophylactus: « Quod est, inquit, fidelis procurator vel œconomus in domo, hoc erat Moyses in populo Hebræo (2). »

3. AMPLIORIS ENIM GLORIÆ ISTE PRÆ MOYSE DIG-  
(2) *Idem, domus, et Græcis et aliis gentibus frequenter est familia. Familia autem illa, cui Moyses fideliter præfuit, est populus Israeliticus, domus (id est) Israel, ut vocatur Act. ii, 28*

(1) Ita Rosenmüllerus et Allilioli.



NUS EST HABITUS, QUOD AMBLOIENEM HABET DOMUS, QUI FABRICAVIT ILLAM. — Vox enim dat causam cur dicitur, vers. 4: « Considerate » non Mosem, sed Jesum; nam licet Moses fidelis fuerit Dei apostolus, uti et Christus fuit; Christus tamen tanto majorem Moese gloriam a Deo adeptus est, quanto major est domo, qui fabricavit illam, est, quanto architectus domo est præstantior honoratior, utpote domus opifex. Christus im est fabricator domus, id est Ecclesie Dei; oēs autem in ea tantum fuit famulus et minister Dei, adeoque Moese pars fuit hujus domus, id est Ecclesie, fuitque unus e populo Dei: patet ex sequentibus. Nota grecismum, « amplio-rem domus, » id est, amplio-rem domo, vel amplio-rem quam domus ipsa. Ita Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus; hoc enim significat Græcum οἰκία τῆς οἰκῆς. Male ergo quidam τὸ domus explicant in domo, vel ea domo.

4. QUI AUTEM OMNIA CREAVIT, DEUS EST. — g. d. Christus, qui, ut dixi vers. præced. et cap. 1, vers. 10, domum hanc Dei, id est Ecclesiam, adeoque omnia que sunt in rerum natura fabricavit et creavit, Deus est; ac proinde Christus quasi creator et Deus, longe nobilior est Mose, qui cum aliis est Christi creatura. Ita Theophylactus.

5. ET MOYSES QUIDEM FIDELIS ERAT IN TOTA DOMO EJUS TANQUAM FAMULUS, IN TESTIMONIUM EORUM QUE DICENDA ERANT, — ut scilicet testificaretur et exponeret Judæis, qui erant tunc populus, domus et Ecclesia Dei, ipsius Dei voluntatem. Sicut ergo de S. Joanne dicitur Apocal. 1, 2, quod testimonium perhibuerit Verbo, id est, quod vere exposuerit, tanquam verus testis, ea que audiverat de Christo: ita et Moese testimonium perhibuit verbis Dei, sive iis que ex parte Dei dicenda erant populo, quæque Deus Moesen populo dicere et denuntiare volebat, Ita Theophylactus.

6. CHRISTUS VERO TANQUAM FILIUS IN DOMO SUA. — Græce τὸν ἑῶν οἶκῶν. Quod magis significat super domum, quam in domo sua; unde clarus verti potest: Christus tanquam Filius præest domui ejus, scilicet Dei Patri, eamque ut dominus administrat, cum Moyses in ea tantum fuerit famulus.

QUE DOMUS SUMUS NOS. — Græca et Græci, Chrysostomus, Theodoretus, Oecumenius legunt, ἡ οἰκία, id est, cuius, scilicet Christi, domus sumus nos. Sed concinnius ac rectius, ut fatetur et Beza, noster Interpres legit, ἡ οἰκία, id est, que domus, puta Ecclesia Dei, sumus nos.

SI FIDUCIAM ET GLORIAM SPEI USQUE AD FINEM, FIRMA RETINEAMUS. — Nota primo: Pro fiduciam græce est πίστις, id est libertatem, per quam intelligi liberam et intrepidam fidei professionem, ut nec minis, nec pœnis a fide Christi avellatur; sed cum libero, audacter et aperta facie, ut vertit Syrus, coram tyrannis et persecutoribus profiteamur, etiãsi ea de causa vincula, rapi-

nas honorum, exilia, verbera, adeoque mortem subire debeamus.

Nota secundo: Pro gloriam græce est δόξα, id est, gloriationem; a gloriationem spei per hypallagen vocat spem gloriationis, id est, spem de qua gloriamur. Unde Vatablus vertit, spem gloriosam. Vel proprie a gloriationem e spei vocat gloriationem qua in spe nostra firmi et animosi de eadem gloriamur, inquit Chrysostomus, ad si jam obtenta a nobis esset, ita ut fidem et spem nostram de futura beatitudine gloria palam tam vita, quam verbo deprædicemus, de eaque gloriamur etiam in tribunalibus persecutorum et tyrannorum. Sic Rom. v, 2, dicit Apostolus: « Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. » Spes enim future mercedis facit nos constantes in fide et vita Christiana, adeoque facit nos gloriarī in mediis erumnis et tormentis: hæc enim spe multi Martyres in acerbissimis pœnis exultarunt et gloriantur.

Omnia hæc dicuntur ab Apostolo hoc fine, ut iis Hebræos in fide et vita Christiana confirmet et corroboret, ne ob tentationes et Judæorum persecutiones animo frangantur, languant et a fide deficiant: nihil enim ita corroboret hominem in persecutione et afflictione sicuti spes firma et certa, constantique persuasio et expectatio quod brevi illa afflictione liberabitur, et recipiet mercedem immensam in celo.

Ubi nota, Apostolum non qualem qualem spem requirere a Christianis, sed vegetam, fortem, exultantem et gloriantem: hæc enim facit, ut Christianus in quantavis tentatione et tribulatione non nutet, non cedat, sed constans persistat, fortiterque et generose omnia adversa superet et evincat, adeoque in iis letetur et glorietur. Unde Chrysostomus hic in morali hom. 8: « Cum tanta, ait, animi alacritate proprium sanguinem effundit, et fundit: etenim aqua est sanguis irrigans corpus. »

7. QUAPROPTER SICUT DIXIT SPIRITUS SANCTUS: HODIE SI VOCEM EJUS AUDIERITIS, 8. NOLITE OBDURARE CORDA VESTRA. — « Ejus, » scilicet Christi: hic enim præcessit. Citat Apostolus Psalm. xciv, quod David generatim invitat omnes ad Dei creatoris et gubernatoris cultum, id est laudem, obedientiam, ut illum quasi pastorem suum, se vero quasi oves ipsius, ab eo pasci, ali et regi agnoscat, colant, ad eumque toto corde transeant, inquit Hieronymus ibidem. Videtur autem scriptus hic psalmus ad festum aliquod solemne, in quo frequens conveniret populus, ut hoc psalmo ad Dei laudem excitaretur. Imo Theodoretus vult hunc psalmum esse propheticum, videlicet a Davide compositum esse in persona Josias, post trecentos annos natus, ut eo uteretur Josias cum, sublati idolis, populum Deo reconciliatum erant, IV Reg. xxii et xxiii. Unde ait: « Veni, exultamus et jubilemus, » quasi victores et triumphatores de abolita impietate et ido-

Spes  
robora  
afflicto-  
nes.  
Vere  
Christi-  
na spe  
constanti-  
tes.

lis. Sed quidquam nec de re sit, videtur ad hoc compositum esse David, ut quovis festo et conventu populi, præsertim solemniori, præcineretur ad devotionem tum Levitarum, tum populi in psalmodia, precibus et sacrificiis excitandam. Unde etiam tum a clericis in officio divino quasi vitatorum ad psallendum et orandum præcitur. Nam psalmi a Davide compositi sunt pro omnibus Christianis, quam Judæis. Voluit enim David, ut iis quasi sacris carminibus omnes psallerent, Deumque laudarent et invocarent; unde generatim sæpe et indefinite loquitur David, ut patet hoc Psalm. xciv.

Quæres: Quomodo ergo Paulus hic eum appropriat Christo, et quomodo per vocem ejus intelligit vocem Christi, cum David intelligat vocem Dei loquentis ad suos Judæos?

Respondeo: Paulus ex dictis cap. 1, præsupponit Christum esse Deum, adeoque fuisse opificem et legislatorem veteris Synagoge, ita ut legem dederit Judæis per Mosem tanquam per famulum suum, ut paulo ante hic præmisit, q. d. Christus est, o Hebræi, Deus, et Dei Filius, qui locutus est per Mosem, quique per Davidem dixit: « Hodie si vocem ejus audieritis, » sive vos qui jam vivitis Judæi, sive vos qui tempore Christi incarnati futuri estis Christiani, « nolite obdurare corda vestra, » sed molli corde excipite dicta illius, illi obedite, nec ullo pacto ab eo desecite. Ad Christum enim et Christianos quoque, non autem ad solos Judæos hunc psalmum pertinere, patet ex eo quod ait: « Jubilemus Deo salutari, » id est salvatori, sive Jesu, « nostro. Præoccupemus faciem ejus, » id est, matremus mane ante lucem venite ad Deum, qui tantam salutem nobis attulit; « in confessione, » hebraice בְּתוֹדָה betoda, id est, in laude, et ut, Hieronymus vertit, in gratiarum actione. Licet enim Deus in veteri Testamento salvator Judæorum dici possit, quod eos a Philistæis aliisque hostibus sæpe liberavit; tamen longe perfectus Christus dicitur Salvator, qui in novo Testamento Christianos a peccato, morte et inferno salvat, salutemque et beatitudinem eternam eis confert.

8. SICUT IN EXACERBATIONE, SECUNDUM DIEM TENTATIONIS IN DESERTO, — g. d. Nolite obdurare corda vestra, itaque me exacerbare, sicut patres vestri obdurantes corda sua me exacerbarunt. « Secundum diem, » id est in die, « tentationis in deserto, » per quadraginta annos murmurantes et rebellantes tam contra Mosem, quam contra me; præsertim vero in Raphidim, cum ob defectum aque pene lapidarent Mosem, unde Moyses ex fira aquam eis impetare debuit. Alludit enim Apostolus ad Exodi xvii, 7, ubi hæc historia narrata aditur: Et vocavit nomen loci ejus מַסַּח מַסָּא, id est tentatio, וְרִיבֵיהֶם אֲמֵרָהּ, id est, et jurgium, sive contentio, qua Judæi jurgantes contra Mosem, Deum exacerbarunt.

Judæo-  
rum re-  
belliones  
et mur-  
muratio-  
nes.

9 et 10. UBI TENTAVERUNT ME PATRES VESTRI, PROBAYERUNT ET VIDERUNT OPERA MEA QUADRAGINTA ANNIS. — Nota τὸ quadraginta annis tam posse referri ad præcedentia, scilicet ad τὸ probaverunt et viderunt opera mea, ut refert Paulus hic, quam ad sequentia, hoc modo: Quadraginta annis proximis, vel infansus fui generationi huic, uti legitur Aquila, Symmachus et noster Interpres, Psalm. xciv, 10, quin et Paulus infra vers. 17. Unum enim ex alio sequitur: quia enim Jus. xli 40 annis, quibus peregrinati sunt per desertum, tentaverunt Deum, hinc totidem 40 annis offensus fuit illis Deus, adeoque omnes in deserto morte consumpsit, et solos eorum filios cum Josue et Caleb, in terram promissam induxit.

Nota: Ad τὸ probaverunt Græci addunt ἤ, id est me; sed idem est sensus: me enim idem est quod opera mea.

Secundo, Adamus sic exponit: « Probaverunt, » id est, cum probassent; sed hoc non coheret cum quadraginta annis: nec etiam postquam probassent et experti essent Hebræi mira Dei opera quadraginta annis in deserto, tentaverunt eum in Raphidim; illa enim tentatio contigit primo aut secundo anno post egressum eorum ex Ægypto.

Planus ergo est sensus, q. d. In deserto tentaverunt me patres vestri; probaverunt, id est exploraverunt, opera mea, videruntque ea esse irreprehensibilia, potentia, fidelitate et divina, ut ex his facile agnoscerent possent me esse coram fidelem et omnipotentem Dominum, deum et protectorem, cui obedire, cui credere, in quem sperare deberent: sed idipsam non fecerunt, unde eis semper offensus fui et mansi (1).

10. PROPTER QUOD INFENSUS FUI GENERATIONI HUIC. — Ita legendum, infensus scilicet, non proximus: ita enim legit Paulus hic, et Interpres noster Psal. xciv, et hoc exigit Hebræum אֲקִרַת אַעוּד, id est nauseavi, ultra eos ferre non sustinens, stomachatus, offensus sum eis; hinc S. Hieronymus vertit, displicet mihi generatio ista; Aquila et Symmachus, displicet mihi in generatione ista; Syrus, ledidum mihi fuit generatio hæc.

Dices: Quomodo ergo in officio divino canimus: « Quadraginta annis proximis fui generationi huic, » sensu, ut videtur, contrario; qui enim infensus est alicui, non solet illi esse proximus. Respondeo: Hæc varia lectio accidit ex eo quod Græcum ἐξῆς ἡμεῶν sit ambiguum; significat enim irasci et offendi, significat etiam approximare, vel ad litus appellare: ἔξω enim significat vel ripam, vel litus. Hic verendum esse offensus fuit, non autem proximus, patet ex Hebræo, Aquila, Symmacho, Hieronymo, uti jam dixi. « Proximus » ergo sic exponendum est, . d. Proximus

(1) Vers. 9. Ubi tentaverunt me (de meo aut potentia, aut bonitate dubitando) majores vestri. Dubitatur de potentia mea, quamquam per 40 annos opera mea populi sciebant. Ita multi.



fui, scilicet ut hostis ad ulciscendum et puniendum duros et rebelles Judæos: hoc enim idem est quod *offensus fui*. Ita passim recentiores.

13. LXI: SEMPER ERRANT CORDE. — *עוֹבְרֵי לֵב* *עוֹבְרֵי* id est, vobiscordes sunt et dementes, et insanant, ut non cognoscant vias meas, id est, mandata mea, quibus quasi visis ad me et ad salutem suam insistant et contendant.

11: 11. QUIBUS JURAVI IN IRA MEA. — Pro *quibus*, legit Interpres in Græco *ἐγώ*, jam legitur *ἐγώ*, id est sicut. Sed nostra lectio magis congrua est, et proprie respondet Hebræo *אָשַׁר אָשַׁר*, id est *quibus* (1).

12: 12. SI INTROIBUNT IN REGIEM MEAM. — « Si » apud Hebræos particula est jurantis, atque apud prisicos Judæos nota juramenti execratorii, in qua subaudiendum est: Si hoc fiat, non *sem Deus*, non *sem verax*, aut quid simile. Hoc enim per euphemismum subauditur Hebræi. Inde « si » translatum est ad quodvis juramentum, valetque idem, quod *non*. Ut I Reg. XIV, 43: « Vivit Dominus, si ceciderit capillus de capite ejus: » hic enim nil subauditur, sed sensus est, Juramus per vitam Dei, quod non cadet capillus de capite ejus, id est, quod non permittemus occidi aut tangi Jonatham.

Requies  
Holan-  
tam  
terra  
promis-  
sionis  
Requies  
Christi-  
anorum  
eterna.

Nota: Per *requiem* intelligit terram promissam, scilicet Chanaan, in qua a labore peregrinandi, quem subierant in deserto, quiescerunt Hebræi, ut eo quasi fine et bratio extimulet Hebræos ad constantiam in fide, *q. d.* Finis et premium laborum quos subierunt Hebræi peregrinantes in deserto, fuit requies in Chanaan, in quam induxit eos Josue: finis vero laborum et dolorum quos subeunt Christiani in hac vita, est requies æterna in cælis, adumbrata per Chanaan, in quam inducit nos Jesus; ac proinde videte, o Hebræi, ne discendatis, græce *ἀποβήται*, id est, apostatetis a Deo, apostatando scilicet a fide et lege Christi, qui est Deus noster verus, vivus et efficax ad vindicandam hanc sui injuriam.

13. SEN ADORANTINI VOSMETIPOS PER SINGULOS DIES, — ad perseverandum in fide, in spe et in persecutionum tolerantia, quasi generosi milites et athletæ Christi.

DOCEO HODIE COGNOMINATUR, — id est, donec vivitis: alludit ad versiculum citatum *Psal. xciv*: « Hodie si vocem ejus audieritis, » urgetque *hodie*. Nota: *Hodie* significat tempus præsens vitæ, gratiæ et penitentiae, quod cuique datur: illo enim *hodie* illud ipsum quod *Psal. 94* olim Judæis locutus est Deus, nunc et quibusvis sæculis cullibet homini loquitur, scilicet: « Hodie si vocem audieritis, nolite obdurare corda vestra. » Quamdiu enim spiramus et vivimus, est *hodie*; quamdiu licet audire, credere et converti, est *hodie*. Qui ante centum, ducentos, trecentos, mille annos vixerunt, habuerunt suum *hodie*, id est suum tempus audiendi Christum, suum tempus procurandæ suæ salutis: illis hoc jam transit

(1) Rectius: *ἐγώ*, vertendum *Magus*, ut Hebræum *אָשַׁר*.

videturque tantum *hodie*, id est una dies, fuisse. Nobis adhuc superest *hodie*, si non totum, certo aliqua ejus pars; utamur nostro *hodie*, crastinum nunquam habituri. « Sera dies nimis est crastina, vive *hodie*. » Ita Chrysostomus et Oecumenius. Eodem modo S. Antonius morit. sui fratres hortabatur et excitabat ad studium virtutis dicens: « Hodie vos religiosum institutum inchoasse quotidie cogitate. » Sic et Barlaam ad Josaphat apud Damascenum: « Cogita, inquit, hodie te cepisse Deo servire, hodie te idipsum finituro; » cogita hodie primum et ultimum fore diem qui Deo servis et servies: ita fiet ut semper alacer omne tædium vincas, et alacriter in Dei obsequio progeris.

Subdole Calvinus et Beza, « hodie, » inquit, adest, quamdiu nos vocat Deus: tandiu enim durat dies hic et non amplius; quasi usque ad certum vite tempus tantum vocet nos Deus, quo exacto frustra speretur Dei gratia et vocatio; cum tamen Patres passim dicant, in hac vita semper nobis nostrum esse *Hodie*, semper tempus esse penitendi et convertendi se ad Deum. Adde, quod « hodie » a vocatione Dei distinguit Apostolus et Psaltes, ut patet ex eo quod ait: « Hodie si vocem ejus audieritis. » Quibus verbis aperte subaudit et presupponit, posse esse *Hodie*, in quo non audiatur Dei vox et vocatio, illud enim exigit conditionalis conjunctio *si*.

UT NON OBADURET QUIS EX VOBIS FALLACIA PEC-  
CATI. — id est, ne illecebris peccatorum fallaci-  
bus capti obdurescat ad vocem Dei, ne scilicet  
honorum temporalium amore desciscatis a fide  
Christi, dum illa timetis perdere, cum Judæi suos  
a Mose ad Christum conversos his displicent.

14. PARTICIPES ENIM CHRISTI EFFECTI SUMUS, —  
*q. d.* Christo tanquam corpori et capiti nos quasi  
partes et membra insiti sumus per fidem, bap-  
tismi et gratiam; unde Syrus verit *כְּחֵלְבָן*,  
*etchallatan*, id est, commixti sumus cum Christo,  
Christo concorporati, ac consequenter vite, grati-  
æ, gloriæ et hereditatis Christi participes facti  
sumus. Videamus ergo ne res tantilla, puta bona  
caduca, a Christo, a tanta dignitate, a tantis bonis  
nos separant et avellant.

SI TAMEN INITIUM SUBSTANTIÆ EJUS USQUE AD FI-  
NEM FIRMIUS RETINEAMUS. — Pro *substantiæ* græco  
est *ὑπόστασις*, id est substantiæ a initium substan-  
tiæ, » vel substantiæ, vocat fidem, per quam primum  
cepimus quasi subsistere in substantia spiri-  
tualis et divini, factique sumus divini consortes  
naturæ. Per fidem enim regenerati sumus in bap-  
tismo, cepimusque esse nova Christi creatura.  
Fides ergo est initium substantiæ nostræ, sive  
substantiæ spiritualis, id est, nostræ justificati-  
onis, qua facti sumus novi homines, scilicet  
Christiani, spirituales et divini. Ita S. Chrysosto-  
mus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius,  
*q. d.* Participes quidem facti sumus Christi, Chris-  
toque insiti; sed id nobis non proderit, nec Christi

Fides  
initium  
substan-  
tiæ nos-  
træ spe-  
ritualis.

am et hereditatem æternam participabimus, nisi in fide Christi persistamus. Sub fide spem, gratiam, charitatem, omnesque fidei proles et fructus intellige, ut dixi *Cap. 3* et *4*. Rursum, « initium, » græce *ἀρχή*, vocat fundamentum fidei: quia cujusque rei fundamentum, in ea primum est, estque i. inquit, *ἵκιστος* autem, id est substantiam, vocat ipsam fidem *cap. xi, 1*. Ita Mal-donatus in *Notis manuscriptis*.

Alii putant fidem vocari « initium substantiæ, » quia per fidem constanter in christianismo subsistimus et persistimus: fides enim proponens nobis spem future mercedis et gloriæ nos sustentat, et quasi facit subsistere in adversis et persecutionibus fortes et immobiles a Christo. Sic enim *cap. xi*, dicit Apostolus: « Fides est substantia rerum sperandarum. » Verum, quia hic non additur *et sperandarum*, et quia substantia simpliciter naturam et essentialiam, non autem contentiam significat, hinc prior sensus germanior est.

15. DUM DICITUR: HODIE SI VOCEM EJUS AUDIERITIS. — Pendet hæc sententia a vers. præced.; explicit enim quid sit *et usque ad finem*, scilicet, idem esse, quod *dum dicitur, Hodie*, id est, dum præsens agit tempus vite nostræ, dum vivimus et vocem Dei audimus, ne obduremus cor et exacerbemus Deum, flagite requie cæli excludamur, sicut olim Judæi sua obduratione exacerbarunt Deum, ideoque mortui sunt in deserto, et a requie terræ promissæ exclusi sunt.

### CAPUT QUARTUM.

#### SYNOPSIS CAPITIS.

Hortatur Hebræos ad constantiam in fide Christi, ut per Christum, in requiem æternam admittantur. Hanc enim docet, vers. 7, promissam esse Christianis, sicut Judæis promissa et data fuit requies cælestis, et requies in Chanaan. Hinc secundo, vers. 11, deficientibus a fide Christi minatur exclusionem a requie cælesti: vivus est enim sermo Dei et efficax, vindequit apostasia. Tertio, vers. 14, rursum hortatur ut Christum, æque ac ipsos tentantur per omnia, ipsisque compatienter fidenter adæant et invocent.

1. Timeamus ergo ne forte, relicta pollicitatione introeundi in requiem ejus, existimetur aliquis ex vobis deesse. 2. Etenim et nobis nuntiatum est, quemadmodum et aliis: sed non profuit illis sermo auditus, non admixtus fidei ex his que audierunt. 3. Ingrederemur enim in requiem meam: et quidem operibus ab institutione mundi perfectis. 4. Dixit enim in quodam loco de die septima sic: Et requievit Deus die septima ab omnibus operibus suis. 5. Et in isto rursum: Si introibunt in requiem meam. 6. Quoniam ergo superest introire quosdam in illam, et in quibus prioribus annuntiatum est, non introierunt propter incredulitatem: 7. iterum terminat diem quemdam, Hodie, in David dicendo, post tan-

Vers. 16.  
Josue,  
Caleb,  
garruli,  
mulieres,  
Levita  
sua muta-  
verunt.

Vers.  
et 15.

Incredu-  
litatis  
maxima  
peccati-  
tum.



tum temporis, sicut supra dictum est : Hodie si vocem ejus audieritis, nocte obdurate corda vestra. 8. Nam si eis Jesus requiem præstitisset, nunquam de alia loqueretur, posthac, die. 9. Itaque relinquitur sabbatismus populo Dei. 10. Qui enim ingressus est in requiem ejus, etiam ipse requievit ab operibus suis, sicut a suis Deus. 11. Festinemus ergo ingredere in illam requiem, ut ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum. 12. Vivus est enim sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio accipiti : et pertinens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis. 13. Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus : omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus, ad quem nobis sermo. 14. Habentes ergo pontificem magnum, qui penetravit caelos, Jesum Filium Dei, tenemus confessionem. 15. Non enim habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris; tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. 16. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.

1. 1. TIMEAMUS ERGO NE FORTE, RELICTA POLLICITATIONE INTROUENDI IN REQUIEM EJUS, EXISTIMETUR ALIQUIS EX VOBIS DESSE. — Est metalepsis in verbo *timeamus*, q. d. Timeamus, et timendo caveamus ignaviam et inconstantiam, ne vel metu malorum, vel amore honorum temporalium desciscendo ad judaismum, relinquamus fidem et spem quietis et gloriæ æternæ, a Christo fidelibus suis promissæ; ita ut « existimetur aliquis ex vobis desse », id est, ita ut videatur aliquis jam ab itinere et introitu in requiem illam, puta in cœlum, jam defecisse, alioque mentem et iter relexisse, ideoque requie illa esse privatus et exclusus. Sicut in hujus rei typum multi Judæi requie Chanaan et terra promissæ, lacte et melle manante, dum murmurant et redire volunt in Egyptum, exclusi sunt, mortui sunt in deserto (1).

Nota : Græcum *ὑπερβία*, quod noster Interpres vertit *desse*, tam deficere et desecere, ut vertit Syrus, quam privari significat.

Nota *secundo* : Molliendo dicit « existimetur » pro *inveniat*, aut *sit* (2). Ita Theophylactus. Græce *δοξῆ*, id est, *ne videatur*, hoc est, ne videri possit : sumitur enim potentialiter. Maldonatus in *Notis manuscript.* vertit, *ne contingat aliquem deficere*.

Nota *tertio* : Assurgit Apostolus a typo ad antitypum, id est, a Judæis requie Chanaan, de quibus egit cap. præced., ad Christianos requie cœli ob apostasiam exclusis, vel potius excludendis.

2. ET ENIM ET NOBIS NUNTIATUM EST, QUEMADMODUM ET ILLIS. — Græce *καὶ ὑμῶν εὐαγγελισθησάτω*, id est, etenim sumus evangelizati, id est, Evangelium, sive lætum nuntium accepimus æque

(1) « Relicta, » id est *neglecta*. Alii : Cum promissio est spes introuendi in requiem ejus *ad hac reliqua, seu residua sit*.

(2) Verba *δοξῆ* et *εὐαγγελισθησάτω*, ut latinum *videri*, sæpe redundant. Sic Cicero in fine peridorum ponit *esse videtur, pro sit*.

ut illi, scilicet Hebræi. Hebræi enim acceperunt Evangelium de possidenda terra Chanaan; nos vero Christiani accepimus Evangelium de possidendo regno cœlorum. Quod ergo David *Psal.* xiv, vocat Dei vocem, dicens : « Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra » (hoc enim citavit Apostolus cap. præced., vers. 7, atque hic perurget), Paulus hic explicat et vocat Evangelium; ex quo rursus liquet Evangelium non tantum promissa læta, uti ejus etymon sonat, sed et minas penitus complecti. Talis enim est illa que sequitur, vers. 3 : « Sicut juravi, in incredulis et obediensibus, « in ira mea : Si introibunt in requiem meam. » Qua de causa Noster non vertit, *evangelizatum est*, sed « nuntiatum est, » quod tam tristia quam læta, tam supplicia quam præmia comprehendit.

SED NON PROFUIT ILLIS SERMO AUDITUS, NON ADMIXTUS FIDEI (id est, non receptus fide, nec creditus a Judæis) EX IIS (id est, secundum ea) QUE AUDIERUNT, — q. d. Non profuit Hebræis hocce suum Evangelium, hocce suum lætum nuntium, quia quæ a Deo per Mosen audierunt, scilicet quod Dei ope Chanaanæ essent superaturi, et in eorum terram tam fertilem quiete ingressuri, non crederent, unde desperantes reverti voluerunt in Egyptum.

Urget Apostolus non mores impios, sed infidelitalem Judæorum; quia hoc tantum proposito ejus serviebat, ut nimirum ex ea, ejusque punitione, Hebræos Christianos ab apostasia deterreat, et in fide Christi confirmet, ne ob persecutiones ab ea deficiant.

Nota : Pro *admixtus* græce est *συμμεχόμενος*, quod significat vinum, aliumve potum, aqua, aliove liquore mixtum, dilutum et temperatum, q. d. Sermo hic, sive Evangelium, et promissio Dei, de re tam ardua et difficili, scilicet Chanaanæ fortissimis subjungendis, fuit Hebræis instar vini meri et potentis, quia superavit eorum opinionem et æstimationem, visusque fuit eis incredibili-

Obje-  
ctum  
est  
instar  
vini  
meri  
et  
potentis

lit, quia illud quasi merum hauerunt, id est, quasi rem nimis arduam, nimis potentem, impossibilem acceperunt, nec aqua fidei miscuerunt et temperarunt, ut legit S. Augustinus in *Psal.* lxxvii. Si enim credidissent Deum esse fidelissimum æque ac potentissimum, credidissent sane Deum promissis staturum, seque inducturum in Chanaan, itaque Deum duces secuti, illicque credentes et fidentes penetrasset in Chanaan : jam quia res tantas, metuentes eas viribus suis, non crederent, hinc diffidentes et reverti volentes, promissione hac excederent, nec Chanaan ingressi sunt, itaque omne hoc Evangelium eis non profuit.

Nota *secundo* : Pro *συμμεχόμενος* Græca jam legitur in accusativo, *πρὸς συμμεχόμενος* ἢ *πρὸς τὰς ἀποστάσεις*, id est sermo auditus non profuit, non admixtus vel commixtus fidei iis qui audierunt; verbum enim *ὑπερβία* poscit apud Græcos accusativum, uti profuit apud nos poscit dativum, q. d. Sermo hic quo Deus promisit Hebræis terram Chanaan, non profuit Hebræis qui per fidem non sunt commixti cum Josue et Caleb, qui duo soli audierunt, id est crederunt. Ita Chrysostomus et Theophylactus. Unde aliqui cum Cajetano hic legunt, *non profuit sermo non admixtus fidei iis qui audierunt*, id est, non profuit sermo audientibus, quia non erant admixti fidei, id est quia non crederent. Verum, ut recte advertit Ribera, vera lectio hujus loci esse videtur hæc : « Sed non profuit illis sermo auditus, non admixtus fidei, iis (id est, in iis) qui audierunt. » Sic enim habent Græca, Greci et Syrus, q. d. Non profuit hic sermo, hoc Evangelium, sive lætum nuntium de requie et possessione Chanaan Hebræis, qui illud a Deo per Mosen audierunt : quia licet initio, cum hac spe egressi sunt ex Egypto, Deo id promittenti crederent, postea tamen auditis exploratoribus dicentibus, Chanaanæ esse viros fortissimos, habereque urbes inexpugnabiles, a fide hac defecerunt : ita pariter vobis Christianis, o Hebræi, non proderit hocce Christi Evangelium, quo promittit regnum cœlorum, audisse et credidisse, si metu persecutionum a Christi fide deficiatis; quare persistite in fide Christi, ut prosit vobis Evangelium, ac re ipsa promissam in eo hereditatem regni cœlestis carnatis et æternis.

Varietas  
lectio-  
nam  
hujus  
loci, et  
grammatica  
lectio.

Non  
quæ-  
ritur  
de  
deserunt.

relinquatis fidem Christi, in qua vobis eam promisit Deus : nam si fidem hæc constanter retineatis, nihil vobis est timendum ; certo enim requiem illam ingrediemini. Id probat ex citato vers. *Psal.* xciv : « Sicut juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam. » Estque argumentum a contrario, q. d. Soli increduli Hebræi non sunt ingressi terram Chanaan; omnes autem credentes eam ingressi sunt : ergo sicut sola incredulitas illos ab ea exclusit, ita fides hos in eam induxit. Atque Hebræi credentes et increduli Mosi, significabant allegorice homines credentes et incredulos Christo; rursus requies Chanaan significabat requiem cœli. Ergo pariter soli filii requie cœli excluduntur, qui Christo credere et obedire noluerunt : omnes vero qui credunt et obediunt Christo, in eoque perseverant, hanc cœli requiem ingredientur.

Nota *secundo* : Pro *sicut*, legit Interpres in Græco *ὅτι*, cum supra vers. 14, cap. iii, legerit *ὅτι*, id est *quibus*, ut ibi dixi. Hic versus Hebræis ærem dat stimulum, quo pariter S. Cyprianus, tract. *De Laude martyrii*, Christianos in persecutione Deici ad martyrium extimulat : « Meminisse, inquit, debes velut quadam te foderis pactione constructum, ex qua aut capessende salutis sit iusta conditio, aut pœnæ merita formido. Stas inter adversa pariter ac prospera, arma inter et tela, hincque te secularis ambitio, inde cœlestis admonet magnitudo. Ante oculos tibi, quasso, concurrant oblata et præmia, et parata discrimina. Cælo Martyres gaudent, veritatis inimicos ignis absumit. Paradisus Dei testibus floret, negatores gehenna complexa æternus ignis inardescit. » *Inardescit*, id est comburit, scilicet ipsa gehenna, que non est aliud quam æternus ignis; est enim appositio. Sic Virgilius, *Georg.* IV, dicit : « Ardebat Sirius Indos. »

ET QUIDEM OPERIBUS AD INSTITUTIONE MUNDI PERFECTIS. — Est occupatio, per quam ascendit Apostolus ad explicandam anagogem sabbati, ut ex ea, et ex requie in Chanaan, evincat per verba citata *Psal.* xciv : « Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut exacerbarunt me patres vestri in deserto; quibus juravi in ira mea : Si introibunt in requiem meam : » hinc, inquam, evincat restare Christianis tertiam requiem in cœlo, q. d. Duplex requies olim promissa fuit a Deo patribus nostris. Prima requies fuit sabbati, qua Deus *Genes.* 1, 3, in honorem et memoriam sue creationis et quietis jussit homines quiescere ab operibus die septimo. Secunda requies fuit in Chanaan : atque David, cum *Psal.* xciv loquitur de requie, eamque facile creditibus propositit, non loquitur de requie diei septimi sive sabbati, quis in illam jam pridem induci exant homines, scilicet ab initio mundicæzæ Deo, operibus sue creationis perfectis, sanctificavit diem sabbati, jussitque homines illo die quiescere et suam requiem imitari. David etiam

Soli per-  
severantes  
diem  
requie.

Nota : Vox *enim* dat causam, cur vers. 1 dixerit : « Timeamus ne forte, relicta pollicitatione, existimetur aliquis ex vobis desse, » q. d. *Ne frustremur opem cœlesti, si*